

www.e-rara.ch

Ioh. Henrici Heideggeri seder shel miḵra

Heidegger, Hans Heinrich

Tiguri, 1713

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: AB 6430

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18963>

Enchiridii biblici liber tertius. De libris novi testamenti.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ENCHIRIDIJ BIBLICI

Libri
N. Test.

Liber Tertius.

DE

LIBRIS NOVI
TESTAMENTI.

CAPUT I.

DE

Libris Novi Testamenti
in genere.

BREVIARIUM.

Libri Novi Testamenti simpliciter ἡ καινὴ Διαθήκη, Ἔ τὰ τῆς καινῆς Διαθήκης ἅπαντα dicti, definiuntur. 1. Summa Ἔ argumentum Librorum N. T. est Christus natus, mortuus, resurgens, in Cœlum ascendens, Ecclesiam gubernans, fide justificans, ejusdemque fructibus sanctificans. 2. Distinguuntur Libri illi ratione formæ externæ secundum sectiones, seu titulos, capita Ἔ versus. 3. Περιχοπαί, ἀναγνώσματα, τίτλοι, sectiones, lectiones, tituli quid veteribus? quid πῖναξ, πινακίδιον? 4. Κεφάλαια, Capita unde dicta? Membrata Stephanus vocat. 5. Capitum distinctio exponitur, puta tum vetus, eaque non parùm varians, Ἔ hodie exoleta. 6. Tum recentior Ἔ hodie usitata, quam media ætate ortam probatur. 7. Στίχοι, versus, membrata capitum. Versuum distinctio vetus, eaque varians, exposita diversæ συχουστειᾶς ratione, nar-

Libri
N. Test.

narrata. 8. Nova hodiè que usitata versuum distinctio Rob. Stephanum authorem habet. 9. Ejus usus & abusus verbis Gomari & Casauboni panditur. 10. Ad formam externam refertur idioma Librorum N. Test. Græco idiomate scriptos omnes esse. An Syriaco idiomate sacri Scriptores conceperint, Græco scripserint? 11. Stylus Librorum N. T. ita purus est, ut à barbarismis & solæcismis immunis sit. 12. Dictionis idea & ἑλληνική, Græca seu Græcanica, & Hellenistica, & ἰδιωτική seu vulgaris dici potest. Neque tamen ita Hellenistica est, ut peculiaris linguæ Græcæ Dialectus dici possit. Argumenta Salmasii. 13. Distributio ratione materiæ in libros Historicos, Dogmaticos, Propheticum. Dogmatici cur Epistolarum forma traditi? Epistole 7. cur Catholicæ, Canonice, ἐγκύκλιοι? Interpretes Librorum omnium N. T. Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica. 14.

Definitio
librorum
N. T.

I. **L**ibri Novi Testamenti, qui simpliciter ἡ καινὴ διαθήκη *Novum Testamentum*, & in aliis codicibus τὰ τῆς καινῆς διαθήκης ἅπαντα, *Novi Testamenti libri omnes* nuncupantur, sunt, quibus ceu tabulis sacris, ab Evangelistis & Apostolis exaratis, Novum fœdus seu Testamentum, sanguine Christi dedicatum, ejusque Oeconomia universa continetur & describitur. Hebraicè תורה *nova lex*, & simpliciter etiam אונגלין *Evangelium*, quod טובה בשרה *bonum nuntium* sonat, insigniri solent.

Summa
eorundem.

II. Summa librorum N. T. est demonstratio, quòd Jesus sit Christus & Salvator noster. Docent nempe in universum libri illi, Christum illum promissum, qui est super omnia Deus benedictus in secula, in libris V. T. typis multiplicibus, sacrificiis inprimis adumbratum ac figuratum, & vaticiniis in dubitatis designatum, missum tandem à Deo Patre

tre

te in carnem venisse, eo ipso tempore, quod apud *Libri*
 se Deus constituerat, & per Prophetas prædixerat; *N. Test.*
 neque missum duntaxat & incarnatum, sed mortuum etiam, & ex mortuis resuscitatum, ascendisse in coelum, & ad dextram magnificentiae confedisse, inde rediturum in consummatione seculi ad iudicandum vivos & mortuos; hunc denique in finem missum & mortuum esse, ut ceu verax abundantes gratiae suae divitias, quas promiserat, exhiberet, & secundum Dei Patris misericordiam nos justos & salvos faceret. Plenissime igitur ostenditur, quod JESUS CHRISTUS, verus agnus, & vera hostia mundi, venerit, ut nos cum Patre reconciliaret, à peccatis nostris sanguine suo nos lavaret, à servitute & imperio Diaboli liberaret, in filios Dei nos adoptaret, & cohæredes Regni efficeret. Ut verò maximi beneficii hujus compotes redderemur, donâsse illum nobis Spiritum suum, cujus fructus & munus est vera & viva in ipsum fides: quique Spiritui nostro attestatur, quod simus Filii Dei, & in viscera nostra charitatem & spem, quæ certa vitæ aeternæ expectatio est, cujusque ipsemet arrhabo & pignus est, aliâque spiritualia dona diffundit. Atque sic per fiduciam in Christum, quæ per charitatem operatur, nos justificari & sanctificari, hoc est, justos haberi & sanctos effici, per Spiritum ejus à peccatis purificari, ut voluntatem ejus operibus bonis sectantes nosmet ipsos abnegemus, eique in justitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ serviamus. Christum esse caput corporis sui, quod est Ecclesia, sanctorum communio, magistrum nostrum illum mitem & humilem, exemplar nostrum, à quo discere nos oporteat innocentiam, patientiam, humilitatem, sobrietatem, fortitudinem, constantiam, dilectionem, omnes denique virtutes, & rectè credendi vivendique normam: Apostolum confessionis nostræ & summum Pontificem, unum mediatorem Dei & hominum, qui sedens ad dextram Dei, Advocatus noster factus, pro nobis orat & interpellat, impe-

Libri N. Test. traturus haud dubiè, quicquid ab ipso, vel ipsius nomine petierimus; dum petentes illi confisi fuerimus, & pro beneficiis collatis gratias perpetuas egerimus; & si quando peccaverimus, pœnitentia sincera compuncti corde, & cum fiducia ad thronum accesserimus. Neque tantùm CHRISTUM libri hi demonstrant: sed etiam τὸν Ἀντικείμενον *adversarium* illius ANTICHRISTUM nigro lapillo signant, vivisque coloribus depingunt, ut ejus insidias, fraudes, impietatem & crudelitatem noscentes, declinantes, fugientes & execrantes, uni Domino & Salvatore nostro Christo fidelius, constantiusque adhæreamus, atque sic Sathana, mundo, Antichristo, carne calcatis, per eum, Principem & consummatorem fidei nostræ, denique æternùm salvemur. Hæc librorum N. T. medulla, hic nucleus, hoc centrum est, ad quod scriptio omnis, institutio & narratio unicè flectit & dirigitur.

Distin-
ctio ra-
tione
formæ
externæ

III. Quemadmodum V. T. libros ratione formæ externæ & materiæ supra distribuimus: ita circa libros N. T. idem faciendum est. Sicut autem Hebræi olim singulos libros V. T. ratione formæ externæ distinxerunt secundùm פֶּרָשָׁה *Parascha*, כּוּרְיָהוּ *capita*, & פְּסוּקִים *versus*: ita Christiani etiam libros N. T. ratione formæ externæ secundùm περιόπαις *sectiones*, seu τίτλους *titulos*, κεφάλαια *capita*, seu, uti Robertus Stephanus insignire maluit, *Tmemata*, & εἰς *versus* seu *Tmematia* distinxerunt. de quibus distinctè, paucis hîc agimus, fusiùs Σ, Θ. alibi.

Sectiones,
situli.

IV. Quàm primùm igitur libri N. T. in manus Christianorum pervenerunt, statim à viris piis & studiosis, ut sive privatim, sive publicè commodius legi & intelligi possint, in περιόπαις *sectiones*, seu particulas majores ejusdem scilicet argumenti materias inter se connexas, & sub uno quasi communi titulo inter se comprehensas, distinxerunt. Quarum περιόπαις apud Clementem Alexandrinum *Strom. lib. VIII.* Athanasium *Oratione 3. contra Arianos*, Basilium *lib. II. de Bap. q. 4.* Chrysostomum *Homil. 3. de Lazaro* mentio est. Budæus vocat

cat *ρήσεις* quasdam, vel *περίοδους*, hoc est, sententias certo ambitu orationis comprehensas. De quo videndus Doctiss. Crojus *observat. in N. T. cap. 4.* Sectiones has etiam *ἀναγνώσματα* sive *ἀναγνώσεις* *Lectiones*, Patres Græci, uti ex Origene *lib. III. contra Coll. Athanasio Orat. 1. contra Ar. Epiphano bar. 64. Ss. 29.* liquet, & Latini *Lectiones*, uti ex Augustino *Serm. de Lucta Jac. Leone Serm. 6. in Epiph. Maximie Taurinensi Hom. 2. in Epiph.* aliisque colligitur, insigniunt: quia scilicet singulis diebus aliquot Evangelistarum & Apostolorum *περικοπαί* in S. Cœtibus legerentur. Ad quam rem constitutum fuit *Ἀναγνωστῶν Lectorum* munus, quorum mentio passim apud Antiquissimos. Diacono enim clamante, *πρόχωμεν attendamus*, statim Lector textum S. Scripturæ legebat. Etiam *τίτλους* seu *titulos*, sectiones has vocari moris erat, quia scilicet singulæ *περικοπαί* suos habebant *titulos*, sive *ἐπιγραφάς inscriptiones*. Locus porro, in quo figillatim sectiones hæc cum suis titulis describebantur, *πίναξ Tabula*, *πινακίδιος Tabella*, à Latinis *Index* dici consuevit. Cujusmodi tabulas & indices sectionum ac titulorum ex distinctione veteri singulis N. Test. libris post Erasmus Doctiss. Heinsius in exercitationibus suis præfixit. Ubi v. g. Evangelium Matthæi sectionibus seu titulis 68. Marci 48. Lucæ 83. &c. absolvitur. Aliter tamen alii sectiones seu titulos librorum ordinârunt. Cæterùm cum universa illa sectionum & titulorum distinctio hodie exoleverit, plura de ea dicere superfedemus.

V. Altera distinctio est secundum *κεφάλαια capita*, seu *capitula*, quæ licet quandoque ipsis sectionibus; uti apud Oecumenium aliisque videre est; æquipolleant; sæpius tamen sunt partes sectionum, ipsis sectionibus minores. Earum metaphora petita est non à computandi ratione, sed ab ipso textus librorum ordine, ipsaque argumentorum varietate: ita ut *capitá* dicantur, quòd ex argumenti; rerum atque ordinis diversitate novum caput, novamque partem constituent, & intervallo quodam ac literis majoribus distinguantur. Eodemi

inter peritissimos homines, dissensio emicuit, quod ^{Libri} de Ciceronis Dialogo, qui Brutus inscribitur, olim ^{N. Test.} Hieronymus, & de libro Aristotelis *περὶ ἐξημνείας* ante & post PSELLI tempora nuper Crojus *Observ.* pag. 58. monuere.

VII. *Recentiora* & hodieque *usitata* capita, in ^{Nova} plerisque omnibus, qui hodie videntur, Orientalibus & Occidentalibus Codicibus eadem sunt. Ita enim S. Matthæus capita 28. S. Marcus 16. &c. habent. De capitum tamen horum antiquitate, veraque origine anxie ab eruditis quæsitum est. Neque facile decidi quæstio potest. Sunt, qui distinctionis ejus authorem constituunt *Arlottum*, natione Etruscum, ordinis Minorum Generalem, qui sub Adolpho Imperatore An. 1290. floruit. At Genebrardus in *Chronol.* pag. 644. Sixtus Senensis *Biblioth. S. lib. 4.* Serarius *Proleg. Bibl. cap. 26. q. 10. pag. 182.* alique, Hugonem Cardinalem, natione Burgundum, professione Dominicanum, qui seculo XIII. vixit. Balæus *Centur. 3. pag. 275.* Stephano Langton; alii aliis authoribus distinctionem illam numericam Caputum hodie usitam acceptam ferunt. Sed antiquiorem longè esse, neque Scholasticis, uti plerique hætenus censuere, incunabula debere, dubitari nequit, tum quia Theophylactus, qui undecimo seculo floruit, eundem numerum capitum Evangelicorum, quem hodie habemus, nobis exhibet; uti patet ex Indice, qui singulis Evangeliiis additus est: tum quia Doctiss. Crojus *Observat. pag. 55.* testatur, habere se codicem Latinum omnium S. Scripturæ librorum, optimæ notæ, & ante octingentos aut plures annos scriptum, in quo series librorum eadem capitum distinctione, quâ hodie utimur, secetur ac dividatur. An verò, quod ibidem Crojus sustinet, jam Hieronymi & Augustini ætate recepta hodie capitum distinctio in usu fuerit, meritò ambigas; & infirmæ, imbellisque mihi rationes videntur, quibus id conficere satagit. Neque etiam firmum satis est, quo alii utuntur, argumentum, petitum ab Ethicis Basilii M.

Libri N. Test. in quibus eadem, quæ hodie in usu sunt capita, annotantur. Factum enim id est posteriorum studio, qui omissis in Græca editione Veterum numeris, in Latinam versionem ad faciliorem inventionem novos & usitatos induxerunt. Putamus igitur, nec novam, nec nimis antiquam, sed media ætate introductam hanc distinctionem esse.

Ver- suum nume- ratio vetus. VIII. Ad ΣΙΧΥΣ *versus* (qui à *vertendo* calamo propriè lineam notant,) seu *Tmematia* pergimus. Nam & antiquitus textum S. juxta *versus* distinctum fuisse, constat. Meminit enim *versuum* Hieronymus *ad Furiam* his verbis: *De Scripturis Sacris habeto fixum numerum versuum.* Idem se librum Paralipomenon vertisse, & in *versus* distinxisse narrat. Sed & ΣΙΧΩΝ *versuum* S. Athanasius *contra Arian. Orat. 3. & Tract. de Virgin.* Gregorius Nyssenus *de Theod. Martyre*, Epiphanius *de ponderib. & mens.* Chrysostomus *Homil. in Psal. 41.* Author *catenæ Græcæ in Jeremiam*, aliique meminerunt. Atque id ipsum ex ΣΙΧΟΜΕΤΡΙΑ veterum idem, qui supra, Crojus probat. Estque illa *versuum* distinctio itidem vel vetus, hodièque exoleta, vel nova. *Vetus* variavit æquè ac illa capitum. In quibusdam enim Codicibus S. Matthæi (v. g.) Evangelium (quod juxta usitatam hodie distinctionem versibus 1071. constat) habet *versus* 2500. in aliis 2560. in aliis 2600. in nostro vero Carolinae Bibliothecæ, cujus supra memini, codice, 2700. Quæ diversitas non inde nata est, quòd, uti nonnulli censent, *versus* idem fuerit ac *linea*, & librum eundem pluribus alii, alii paucioribus lineis scripserint; sed quòd contextus facer diversis rationibus olim à Librariis scribi solitus est. Quidam enim continua serie, & sine ullo interductu scribebant: alii ἐν ἑσθδ τῶν ΣΙΧΗΩΝ, *forma librorum carmine scriptorum.* Qui continua serie scribebant, *versus*, eorúmque cola literis majusculis vel miniatis, vel cæruleis notabant, & distinguebant. Qui verò κατὰ τὸν τῶν ΣΙΧΗΩΝ τρόπον describent, *versus* interductu ac spatio quodam, vel tenui discrimine separabant. *Versus autem*

autem utrique constituebant, non pro periodorum *Libri*
 longitudine vel brevitate, vel pro integro sententiæ *N. Test.*
 ambitu, sed pro mentis sive sensus ratione, ac pro
 commatum, vel membrorum numero, ita ut
 aliquando totidem sint in singulis periodis versus,
 quot sunt illorum intercisa vel membra. Ejus
 rei exempla plura videre est in Jobo, quem è libro
 Theclæ manu exarato Patricius Junius Londini
 A. 1637. edidit. Exemplis quoque librorum N. T.
 id ipsum comprobantem videsis eundem Cl. Cro-
 jum *Observat. in N. Test. cap. 12.*

IX. Nova versuum distinctio illa ipsa est, Nova,
 quam hodiè que communiter impressi Codices
 representant. Authorem illa habet Robertum
 Stephanum. De quo ita Filius ejus doctissimus,
 Henricus Stephanus, *Prefat. in Concord. N. T.* lo-
 quitur: *Ultimum, quod in bonas literas, vel potius in*
earum lectores, contulit (Robertus Stephanus parens
 meus) *beneficium, minus aliis non fuisse qui judicant,*
non insagaci esse judicio videntur. Id, cujus honori-
ficam mentionem facio, beneficium illud est, quòd cum
Testamenti Novi libri in Tmemata, quæ capita vulgò
vocantur, divisi essent, ipse horum Tmematum unum
quodque in Tmematia divisit, vel potius subdivisit: quæ,
appellatione ab aliis magis quàm ab ipso probata,
versiculi vocata fuerunt. Nam ipsi vel Gracæ illâ
voce Tmematia, vel Latina, quæ illi respondet, sectiun-
culas nominare magis placebat. Illam enim veterem
commatum in oratione appellationem (Ciceroni inciso-
rum) ad alium restringi usum videbat. Verùm ut
bis paucis de nomine contentus sim, & de re ipsa plura
dicam: initium à duobus sumam, quorum utrum ma-
gis mirari debeas, dubitabis. Unum est, quòd Lutetia
Lugdunum petens, banc, quæ de agitur, Capitis cujusque
Catacopen consecit, & quidem magnam ejus, inter equi-
tandum, partem: alterum, quòd illum paulò ante de
hac cogitantem, plerique omnes incogitantem esse aje-
bant: perinde ac si in re prorsus inutili futura, ideoque
non tantùm nullam laudem consecutura, sed in derisum
etiam ventura, ponere tempus atque operam vellet. At
ecce contra eorum damnatricem instituti patris mei

Libri N. Test. opinionem inventum illud simul in lucem, simul in omnium gratiam venit, simulque in tantam auctoritatem, ut quasi exauctorarentur alia Testamenti novi, sive Græcæ, sive Latine, sive Gallicæ, sive Germanicæ, sive in alia vernacula lingua editiones, quæ inventum id sequuntur non essent. Hactenus ille, modernæ versuum distinctionis originem ex vero pandens.

Distinctionis historice usus.

X. Historiæ hujus, distinctionis scilicet sectionum, capitum & versuum usus hic est, (verbis Celeberr. Gomari in 1. Petri cap. I. uti liceat,) ne sectionibus hisce capitum aut versuum Divinam auctoritatem tribuamus, neve illos temeritatis accusemus, qui eas distinctiones alicubi reprehendunt, aut justa ratione aut cautione immutant. Nonnunquam enim cum sensus injuria ineptè ea divelluntur, quæ re ipsa conjuncta sunt, & contra; cujus rei multa, si opus esset, adferri possent exempla, & crebræ de ea re in Calvinii Viri Doctissimi commentariis extant querelæ. Juvabit etiam de eadem Viri Doctissimi Isaci Casauboni judicium adscribere. Sic autem ille: *Etsi non improbo librorum sacrorum receptam hodie divisionem: tamen non dubito, quin longè commodior esset futura veterum distinctio, si quis magnus Theologus ei restituenda operam dedisset. Veteres enim singulos libros in τίτλους, singulos τίτλους in sua κεφάλαια ita dividebant, ut Lectorem ea divisio multum possit adjuvare. Non enim, opinor, ut hodie factum videmus pluribus in locis, ea dividebant, quæ, si quis diligentius animum advertat, conjunctim potius legi deberent, sed diversas potius quæstiones, & ejusdem quæstionis partes ita distinguebant: quod quantopere sit exoptandum, nemo qui artificiosissimas præsertim Pauli Epistolas legerit diligenter, potest ignorare.*

Idioma librorum.

XI. Ad formam externam librorum N. Test. etiam idioma refertur. De quo *παρέργει ὀδόν* pauca. Græco autem idiomate scriptos esse N. Test. libros omnes, pertendimus, etiam Evangelium S. Matthæi, Marci, Epistolas ad Romanos & Hebræos, quod de singulis in loco uberius probamus. Neque alio, Syriaco scilicet, idiomate, Sacros N. Test. Scriptores, quæ scripserunt, concepisse, Græco verò Syriacè concepta scripsisse, ita ut genuino

quino interpreti meditandæ snt allusiones, non *Libri* quæ extant, sed quas illi animo conceperunt, uti *N. Test.* eruditi nonnulli asserunt, putamus. Firmiter enim id tenendum omnibus, Spiritum S. non res duntaxat, sed etiam dictiones singulas, methodum & phrasin amanuensibus suis inspirasse, inspirata illos percepisse, conceptus suos dextrè formasse, & formatos ita expressisse, ut Græcus ille, quo expresserunt, contextus fidei, morum, ac meditationum omnium nostrarum, quoad N. T. libros, canon & norma unica existat.

XII. Stylus porro librorum N. T. hætenus *Styli* purus est, ut barbarismis & solœcismis libri illi *puritas,* nullis imbuti sint: secus quàm nonnulli statuunt, non parùm in Spiritum S. iniqui, quasi scilicet non potuisset usitato ac recepto sermone, qui usu valet, sine solœcis & barbarie proloqui, mentémque suam exponere. Si qui Hebraïsmi, Targumismi, Latinismi, aliæque variarum linguæ Græcæ Dialectorum vestigia hinc inde apparent, non ea barbarismum, sed usitatam tum receptamque loquendi & scribendi rationem arguunt. Phrases verò illæ, quas *καρίεστες* nonnulli, ceu minùs cultas fastidiunt, ab aliis delicatulis Criticis, ceu Atticæ deliciæ deglutuntur, quoties apud profanos aucthores occurrunt. Occurrere autem sæpius, Viri Doctissimi, Henricus Stephanus *Præfat. N. Test.* Theodorus Beza *in notis ad N. T.* Seb. Pfochenius *de puritate linguæ Græcæ N. T.* aliæque comprobant. Si qui igitur Veterum dictionem librorum N. T. vocârunt *ἀργοειζομένην, σολοικίζουσαν, βαρβαρίζουσαν, διωτικὴν*, de quibus fusiùs Doctissimus Salmasius *de Hellenista pag. 260. &c.* vel simpliciter illi repudiandi sunt, ceu crudi nimis censores styli sacri, vel sic interpretandi, ut dicantur non insectari puritatem sermonis sacri, sed sermonem sacrum à Rhetorum mangoniis & mellitis, quod ajunt, verborum globulis distinguere. *Prima barbarismi & solœcismi absit fœditas*, inquiebat olim Fabius, præceptionem super ista re auspicatus. Idem hic dicere fas sit. Sed labem illam à sermone sacro cùm

Libri alii, tum Doctiff. Bœclerus *Append. Dissert. de Lin-*
N. Test. gua Græca N. T. solidè absterferunt.

Styli
 idea seu
 forma.

XIII. Dictionis librorum N. T. Græcæ forma seu idea, an simpliciter *ἑλληνική Græca*, seu *Græcanica* cum plerisque; an *ἑλληριστική Hellenistica* cum Scaligero, Heinsio, aliisque, an *ἰδιωτική idiotica* seu *vulgaris* cum Salmasio nuncupanda sit, parùm meâ sententiâ refert. Cui enim bono verborum tricæ? *Græca* certè seu *Græcanica* est, & talis, qualis promiscuè in usu fuit tum, cùm scriberent *Evangelistæ* & *Apostoli*, licèt *Hebraïsmis* inprimis, (ut scilicet *Novum Testamentum Veteri* etiam quoad dictionem succenturiatum consonare & congruere intelligant omnes, adeoque nec *domestici*, *Judæi* novitatem aspernari, nec *peregrini*, *gentiles* diversitatem suspectare possent,) aliisque *Dialectis* nonnullis à *Viris Doctissimis*, *Pasore*, *Wyssio* nostro, *Joh. Vorstio*, *Gattakero*, notatis abundans. *Hellenistica* etiam est, quia ab *Hellenistis*, hoc est, *Græcis* seu *extraneis* origine, cultu verò seu religione *profelytis*, inter *Judæos Hierosolymæ* alibi que *habitantibus* usitata, exulta, recepta erat. Denique & *ἰδιωτική idiotica* seu *vulgaris*, quia usitata iis, qui erant *ἰδιῶται λόγων idiotæ sermone*, uti se *S. Paulus* 2. *Cor. XI. 6.* insignit, quia scilicet non *persuasoriis* *humanæ Sapientiæ* verbis, ne *evacuetur* *crux Christi*, sed *demonstratione* *potentiæ* & *Spiritûs* se commendavit. Sicut igitur *Poëtarum* stylus *Poëticus*, *Rhetorum* *Rheticus*, *Historiæ* *Scriptorum* *historicus* est: ita *idiotarum* stylum *idioticum* seu *vulgarem* dici nihil vetat. Neque tamen ita *Hellenistica* dici potest, ut sensus sit, *peculiarem* esse *Lingua Græcæ Dialectum*, ita à *Græca* *communi* & *puriori* differentem, uti *Lingua Italica* vel *Gallica* à *Latina*: *Arabica*, *Syriaca*, *Chaldæa* ab *Hebraica*: *Danica*, *Anglica*, *Belgica* à *Teutonica* differt. *Commentum* illud *distinctæ* *Lingua Græcæ Dialecti*, *distinctique* *nominis*, *Hellenistica* scilicet, solidè, nisi fallor, *Cl. Salmasius* *Commentario de Hellenistica* confutavit, *argumentis* *allatis* *pluribus*; *cujusmodi* *sunt*,

sunt, quòd nulla gens fuerit, populus nullus, qui ea usus sit, nullus locus certus, aut regio, in qua usui fuerit: quòd Hellenistica nullus veterum meminerit: quòd nulli Hellenistæ Hebræi, à quibus Græco-Hebræa hæc lingua denominari potuerit: quòd Hellenistæ non fuerint illi, à quibus conscripta sunt V. T. volumina; ut nec illi, à quibus scripti sunt N. T. libri: quòd Hellenisticâ linguâ non scripserint vel LXX. Interpretes, vel alii Bibliorum translatores, vel Apostoli: quòd denique *Hellenistica* vocabulum nihili sit, nulla ratione vel autoritate, eo scilicet sensu, quo obtruditur, confictum.

Libri
N. Test.

XIV. Superest distributio librorum N. T. *Distributio materiae.* Et S. Athanasius quidem in Synopsi Novum Testamentum facit *ὀκτώτερον, octo voluminum* seu partium, ut *quatuor* libri sint Evangelici, *quintus* Acta Apostolorum, *sextus* septem Epistolæ Catholicæ: *septimus* quatuordecim Epistolæ Paulinæ: *octavus* Apocalypsis Johannis. Leontius verò Byzantinus *lib. de Sectis, Act. 2. N. T.* libros distribuit *eis ἐξ ἑβδμήα in sex libros*; quorum *primus* continet Matthæum & Marcum, *secundus* Lucam & Johannem, *tertius* Acta, *quartus* septem Epistolas Catholicas, *quintus* quatuordecim Epistolas Pauli, *sextus* Apocalypsin. Sed commodius imitatione recentiorum in tres classes Novum Testamentum universum dividitur, ita ut alii libri sint *Historici*, alii *Dogmatici*, unus *Propheticus*. Tametsi enim in *Historiis* etiam Dogmata & Prophetiæ: in *Prophetiis* hitorix & dogmata reperiantur, ita ut singula *συμμεμειντα* sint: tamen à potiori argumenti parte, & ab ipso librorum scopo si petatur distributio, non incommoda censebitur illa, quam expressimus. Sunt igitur libri N. T.

Distributio
ratione
materie.

I. *Historici, historiam Christi & Apostolorum complexi.*

Liber
N. T.

Vide

I.

1. Historiam Christi à quatuor Evangelistis traditam ubi sunt

Historici.

a. S. Matthæus, à quo personæ Christi descriptio & revelatio, (2.) ejus præcurfor Johannes Baptista, mu-

Matthæus.

- Libri N. Test.* nere suo fungens, (3.) nec non actiones, puta doctrina & miracula, (25.) passiones, (27.) & gloria resurrectionis pertexuntur. (28.) *capp. 28.*
- Marcus.* b. *S. Marcus*, Historiam ministerii Johannis, (1: 1--9.) Christi ad obeundum munus parafseven, (1: 9--14.) ejusdem actiones, doctrinam & miracula, (1: 14--14.) passiones, (15.) & gloriam resurrectionis ac ascensionis in Cœlum (16.) complexus. *capp. 16.*
- Lucas.* e. *S. Lucas*, Johannis præcursoris Christi nativitatem, (1.) Christi nativitatem & infantiam, (2.) ejusdem actiones, doctrinam & miracula, (21.) nec non passiones, (23.) & gloriam resurrectionis ac ascensionis in Cœlum (24.) pertexens. *capp. 24.*
- Johannes.* d. *S. Johannes*, ubi persona & adventus Christi describitur, (1: 1--18.) Johannis Baptistæ ministerium narratur, (1: 19--37.) Christi actiones, doctrina & miracula, (1: 37--13.) passiones, (19.) & gloria resurrectionis (21.) exponuntur. *capp. 21.*
- Acta.* 2. Historiam *Apostolorum*, quorum *Actus* historiam Apostolorum communem, Evangelium inter Judæos, tum intra, tum extra terram sanctam prædicantium, (12.) nec non præconium Evangelii, S. Pauli in urinis ministerio facta inter Judæos & gentes promiscuè, Romam usque (28.) comprehendunt. *Acta Apostolorum capp. 28.*
- H. Dogmatici.* II. *Dogmatici*, in quibus præcipuè dogmata fidei & vitæ tractantur. Habent libri hi singuli formam *Epistolarum* ad Ecclesias vel omnes, vel particulares, vel personas etiam singulares scriptarum, pulchrè observantibus piis veteribus, quòd in Novo demum Testamento, in quo Deus familiariter nobis per Filium suum locutus est Heb. I. 1. mysteria Regni Cœlestis per Epistolas conscribi cœperint, cùm Epistola nihil aliud sit, quàm familiare cum amico colloquium. Sunt autem Epistolæ hæc duùm generum.
1. *Pauline* authore S. Paulo exaratae omnes. Tametsi enim, quæ dicuntur *Catholicae*, Paulinas in vetustis Codicibus, Carolino etiam nostro emendatissimo, præcedunt ordine collocationis, nos tamen receptam hodie dispositionem, & ordinem etiam temporis, quo scriptæ sunt, secuti, Paulinas præferimus. Sunt autem illæ quatuordecim numero, scriptæ
- Ad Romanos.* a. *Ad Romanos*, ubi post exordium Epistolæ (1: 1--16.) demonstratur, quòd Evangelium Christi sit potentia Dei ad salutem omni credenti, utpote in quo justitia Dei revelatur ex fide in fidem, (8.) & quidem Judæo primùm tum & Græco, (12.) & præcepta vitæ gratiam vocationis decentis traduntur, (15: 14.) Epistolæque clauditur. (16.) *capp. 16.*

- b. *Prior ad Corinthios*, ubi Corinthii propter schismata *Libri* objurati, ad unitatem conservandam excitantur, *N. Test.* (4.) iidem ob neglectam disciplinam circa incestuosum, lites forenses & impuritatem vitæ increpantur, *Corin-* (6.) de virginitate & nuptiis, (7.) idolothytis, habitu thios. mulierum in Ecclesia, & communione mensæ Dominicæ, (11.) spiritualibus, (14.) & resurrectione mortuorum informantur, (15.) & Epistola clauditur. (16.) *capp. 16.*
- c. *Posterior ad Corinthios*, ubi iter S. Pauli, & quæ ei *Poste-* passim obtigerunt, inspersis digressionibus variis nar- *rior* ad ratur, (9.) & S. Paulus Apostolatam, potestatemque *Corin-* sibi commissam tuetur (13.) *capp. 13.*
- d. *Ad Galatas*, quâ S. Paulus veritatem Evangelii à se *Ad Ga-* prædicati, ac inprimis libertatem N. Test. tuetur, *latas.* (5:13.) & libertatis Christianæ usum & abusum docet. (6.) *capp. 6.*
- e. *Ad Ephesios*, quâ & mysteria fidei Christianæ & sa- *Ad E-* lutis exponuntur, (3.) & munera Christianæ vitæ, *phesios.* per quæ dignè ambulatur vocatione Christi, docen- tur. (6.) *capp. 6.*
- f. *Ad Philippenses*, quâ suum erga eos amorem, vincu- *Ad Phi-* lorumque suorum usum memorans, ad sanctam con- *lippen-* versationem adhortatur, (1.) unitatem, humilitatem, *ses.* salutis operationem cum timore, commune gaudium commendat, (2.) à seductoribus præmonens, ad sectandam veram justitiam fidei, perfectionem dirigit (3.) & ad concordiam adhortatur, consolatur, ac beneficentiam erga se laudat. (4.) *capp. 4.*
- g. *Ad Colossenses*, quâ iis fidem & charitatem erga *Ad Co-* sanctos gratulatur, (1:1-9.) ad incrementum quæ- *lossen-* rendum fidei, cavendamque seductionem à Christo *ses.* eos adhortatur, (2.) & exercitia fidei ac pietatis commendat. (4.) *capp. 4.*
- h. *Prior ad Thessalonicenses*, quâ gratiarum actionis & *I. Ad* preceationis forma ad constantiam hortatur, (3.) of- *Thessal.* ficia Christiana professione digna commendat. (5.) *capp. 5.*
- i. *Posterior ad Thessalonicenses*, quâ eos persecutiones *II. Ad* sustinentes consolatur, (1.) de adventu Domini, *Thessal.* signisque eum præcedentibus, cavendamque seductione eos instruit, (3:6.) & caveri fratres inordinate ambulantes jubet. (3:6--f. *capp. 3.*
- k. *Prior ad Timotheum*, quâ admonet de retinenda sana *I. Ad* doctrina, de usu & abusu legis, ac doctrina Evangelii, *Timo-* (1.) præcepta de orationibus & habitu mulierum *theum.* perhibet, (2.) Episcopos, Diaconos, Ecclesiam informat, (3.) vaticinium de Apostasia edit, (4.) Episcopo officium erga seniores, viduas, presbyteros ordinandos præscribit, (5.) servos, docentes admonet, avaritiæ periculum, divitum officium exponit, & quæstiones futes prohibet. (6.) *capp. 6.*
- l. *Posterior ad Timotheum*, quâ eum de suscitando do- *II. Ad* *Timo-* *theum.*
no,

- Libri N. Test.* no, patientia, tenenda forma doctrinæ admonet, (1.) ad fortitudinem, doctrinam sinceram aliis tradendam, patientiam, puritatem vitæ hortatur, (2.) vaticinium de ultimis temporibus edit, (3.) & ad præconium fidele ac constans invitat. (4.) *cap. 4.*
- Ad Titum.* m. *Ad Titum*, quæ eum de ministerio in Creta obeundo admonens, (1.) præcepta variis hominum generibus impertienda eidem præit. (3.) *cap. 3.*
- Ad Philemonem.* n. *Ad Philemonem*, quæ Deo de ejus fide & charitate gratias agens, (v. 1--9.) eidem Onesimum commendat, (21.) *cap. 1.*
- Ad Hebræos.* o. *Ad Hebræos*, quæ eos, ut Christo filio Dei & hominis, magnoque Prophetæ attendant, hortatur, (4.4.) monnet, ut omiſſa ſervitute legis, uni Christo Pontifici confidant, (10: 24.) & ad fidem, ſpem, patientiam, ſanctitatem eorundem hortatur. (13.) *cap. 13.*
- Epistolæ Catholicæ.* a. *Catholicæ*, ita dictæ veteribus, hoc est, *universales* *ἁποστολικαὶ ἐπιστολαὶ*. *Ὁν γὰρ ἀφωρισμένως ἔθνευ ἐνὶ ἡ πόλει, ἀλλὰ καθόλου τοῖς πιστοῖς ἐγγράφησαν*: quasi publicæ vel circulares. Neque enim privatim uni alicui genti, vel civitati, sed omnibus in unum versum fidelibus scriptæ sunt. verba sunt Oecumenii in *cap. I.* *Jac.* Igitur etiam *ἐγκύκλιαι* veteribus dictæ sunt. Est autem *ἐγκύκλιον*, juxta Etymologicum magnum, *ἀπανταχῶ καθολικόν*, quod ubique est commune seu universale. Sed & *Canonicorum* nomine apud Hieronymum *Prol. super Epist. Cathol.* Lyranum, & alios veniunt, quod non exclusivè, sed *ἐξοχικῶς* & *ἐξαιρέτως* accipiendum; quia, uti Dionysius Carthusianus in *Proem. Cathol.* censet, *ἃ diversis authoribus scriptæ, Ἐὺμ ab uno eorum peculiare aliquod nomen sortiri nequirent, commune aliquod nomen iis tribuendum fuit, idque condignum ἔ venerabile.* Nisi fortè vel per errorem ita dictæ sint, uti Beza judicat, vel hanc ob causam, quod, cum de iis aliquandiu dubitatum sit, (nam & Syrus Interpres Antiquissimus eas omisit,) Ecclesia communi post consensum eas in *canonem* admisit. Recensentur Veteribus septem, quarum quinque tantum sunt *ἀληθῶς verè*, *Catholicæ*, duæ, puta secunda & tertia Johannis *ἀκρίως improprie*, quia primæ Johannis quasi pars quædam censentur. Unde in Codicibus Græcis *καθολικῶν* nomine non veniunt. Sunt igitur *Epistolæ hæ*, juxta ordinem à S. Hieronymo juxta Græcos codices, ipsumque Concilium Laodicenum can. 59. constitutum.
- S. Jacobi* a. *S. Jacobi*, in qua de patientia in tentationibus, harumque origine, (1.) *protopolepsia* in præterendis divitiis, & fide operibus demonstranda, (2.) lingua refrænanda, & conversatione honesta & tranquilla, (3.) bellorum causa, obedientia, luctu, obsecratione, opportunitate boni operis, (4.) calamitatibus divitum,

tum, patientia, veracitate, & charitate circa ægrotos ac errantes (5.) agitur. *capp. 5.* Libri
N. Test.

b. *S. Petri due*, quarum
 α. *Priore* gratias agens pro gratia & spe, in tentationibus fidelibus dispersis donata, (1:12.) cum fidelibus omnibus, tum certis hominum ordinibus officia præscribit. (5.) *capp. 5.*

β. *Posteriore* ad constantiam ac profectum in fide & studio pietatis adhortatur, (1.) & Prophetiam de falsis doctoribus impiis & irrisoribus adventus Domini eorumque iudicio edit. (3.) *capp. 3.*

c. *S. Johannis tres*. quarum

α. *Primâ* doctrinam de Christo, vera luce, communi-
 one cum ea, remissione peccatorum per eum, (1.) propitiatione per Christum, notis fidei, obedientia erga Deum, charitate erga fratres, & utrisque opposito Antichristo ac amore mundi, (2.) privilegiis per Christum partis, & officiis filiorum Dei, fide & charitate, (3.) probatione spirituum, & dilectione Dei ac proximi, (4.) denique usu fidei in Christum, & vitanda idololatria (5.) tradit. *capp. 5.*

β. *Secundâ* electæ Dominæ gratiam à Deo precatur, (v.1-4.) eidem agnitam veritatem gratulatur, & ad constantiam adhortatur. (13.) *cap. 1.*

γ. *Tertiâ* Gajo prospera precatur, (2.) ejusdem fidem & beneficentiam laudat, Diotrophem reprehendit, Demetrium commendat. (15.) *cap. 1.*

d. *Judæ*, quâ vocatis sanctificatis bona precatur, (2.) ad decertandum pro fide semel tradita eosdem exhortatur graviter, (23.) Deumque celebrat. (25.) *cap. 1.*

III. *Propheticus unus*, quo futura Ecclesiæ fata prædicantur. Apoca-
lypsis.

puta Apocalypsis, quâ post exordium libri, (1:11.) visiones septem, Ecclesiæ Christi in hisce terris militantis itatum concernentes, exhibentur, (22:6) & Epilogo liber, totusque scripturæ canon, obsignatur. (22:6-f.) *capp. 22.*

TABULA SYNOPTICA LIBRORUM NOVI TESTAMENTI.

Partes.

I. Historici, continentes

1. *Historiam Christi: Sûntque quatuor Evangelistæ.*

a. *Mattheus*, *capp. 28.*

b. *Marcus*, *capp. 16.*

c. *Lucas*, *capp. 24.*

d. *Johannes*, *capp. 21.*

2. *Apostolorum Actus*, *capp. 28.*

II. Do-

Libri II. Dogmatici, puta Epistolæ

N. Test.

- I. *Paulinæ quatuordecim*, putâ
 - a. *Ad Romanos*, capp. 16.
 - b. 1. *Ad Corinthios*, capp. 16.
 - c. 2. *Ad Corinthios*, capp. 13.
 - d. *Ad Galatas*, capp. 6.
 - e. *Ad Ephesios*, capp. 6.
 - f. *Ad Philippenses*, capp. 4.
 - g. *Ad Colossenses*, capp. 4.
 - h. 1. *Ad Thessalonicenses*, capp. 5.
 - i. 2. *Ad Thessalonicenses*, capp. 3.
 - k. 1. *Ad Timotheum*, capp. 6.
 - l. 2. *Ad Timotheum*, capp. 4.
 - m. *Ad Titum*, capp. 3.
 - n. *Ad Philemonem*, capp. 1.
 - o. *A Hebræos*, capp. 13.
2. *Catholicæ septem*, puta
 - a. *Jacobi*, capp. 5.
 - b. *Petri duæ*
 - α. *Prior*, capp. 5.
 - β. *Posterior*, capp. 3.
 - c. *Johannis tres*
 - α. *Prima*, capp. 5.
 - β. *Secunda*, cap. 1.
 - γ. *Tertia*, cap. 1.
 - d. *Jude*, cap. 1.
- III. *Propheticus unus, Apocalypsis*, capp. 22.

*Interpretes Librorum N. Test. omnium,
vel plerorumque.*

S. PATRES. Arnobius, Augustinus, Beda, Catena Græca, Chrysostomus, Gregorius M. Origenes.

REFORMATI. Aretius, Betulejus, Beza, Bullingerus, Calvinus, Camero, Capellus, [uterque] Coccejus, Crojus, Drufius, Gualtherus, Heinzius, Marloratus, Obenheim, Piscator, Strigelius, Toffanus, Wiffius [Felix,] Zuinglius, Herlinus.

ANGLI. Bridges, Cartwright, Fulco, Gattakerus, Hammondus, Knathbull, Leigh, Ligtfoot, Poole, Pricæus, Tyndallus, Mayer, Matthæus, Boifius, Doughtejus.

Hugo Grotius eosdem eruditus notis illustravit.

AUGUSTANI. Brentius, Camerarius, [Joach:] Crinesius, Flaccius, Friedlibius, Illyricus, Gualtperius, Matthesius, Quistorpius, Schmidius. [Eraf.] Wirth.

PONTIFICII. Augustinus Anconas, Aquinas, Bacco, Caninius, *Evang.*
 Capgravius, Clarius, Costerus, Erasmus, Faber, Gorranus, *S. Mat-*
hæi à Lapide, Loeus, Lopis, Lyranus, Lorichius, Maldonatus, *thæi*,
 Nuza, Paulutius, Salméron, Scotus, Tyræus.
 Addantur Interpretes plerique librorum V. T. omnium,
 lib. I. cap. I.

CAPUT II.

DE

Evangelio S. Matthæi.

B R E V I A R I U M.

Inscriptio libri. Cur Evangelii titulo libri histo-
riam de Christo exponentes veniant? Evan-
gelii notio duplex. ὑπομνημονεύματα. I. Cur
Evangelium κατὰ Ματθαῖον secundum Mat-
thæum nuncupetur? 2. Matthæus à Deo dona-
tum notat. Levi etiam cognominatus. Personæ
ejus descriptio. De morte & martyrio ejus
incerta traditio. 3. Argumentum libri. 4. Lin-
guâ Hebræa scriptum esse librum veteres pleri-
que, Papiæ traditione, & Evangelio Matthæi,
quod Hieronymi ætate circumferebatur, He-
braico decepti, & recentiores non pauci asse-
ruerunt. 5. Neque tamen vel Hebraicè, vel,
uti Widmenstadius, Guido Fabricius, Walto-
nus censent, Syriacè, sed Græcè scriptum esse,
argumentis pluribus probatur. 6. Historiæ hujus
structura in rebus & verbis consistens, qualis?
Scriptiois genus simplex. 7. Tempus scriptiois
narratis traditionibus veterum, Orientalium
inprimis, eruitur. Quomodo in Palestina &
India scriptum Arabes asserant? 8. Partes libri
quinque sunt. I. Personæ Christi descriptio
& revelatio. (cap. 1. 2.) II. Præcursor ejus,
Johannes Baptista. (cap. 3.) III. Actiones ejus,
conciones maximam partem & miracula.
 (cap.

Evang. S. Matthæi. (cap. 4---26.) *IV. Passiones.* (cap. 26. 27.) *Gloria resurrectionis.* (cap. 28.) *Interpretes libri Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica ejusdem.* 9.

Inscri-
ptio. **I**nscribitur primus hic Novi Testamenti liber τὸ κατὰ Ματθαῖον Ἐυαγγέλιον *Evangelium secundum Matthæum.* Quia nempe historię de Christo à se scripto consignatæ titulum Ἐυαγγέλιος *Evangelii* ipsemet S. Marcus cap. I. v. i. fecit, Ecclesię inde à S. Apostolorum temporibus, uti etiam Justinus in Apologia testatur, addo etiam Interpretibus, Latino, Syro & Arabi, quatuor libros illos, quibus historia vitę & mortis Christi comprehenditur, *Evangelii* titulo insignire placuit. Quę vox cum proprię lætæ nuntium significet, in Theologia bifariam usurpatur. Nam & doctrinam de salute per fidem in Christum sive exhibendum *latius*, Hebr. IV. 2. sive exhibitum *strictius*, Matth. IV. 23. IX. 35. XXIV. 14. Marc. I. 14. XIV. 9. Luc. II. 10. Rom. I. 2. 3. *absolutè* usitata Synecdoche generis pro specie, & libros quatuor, quibus historia vitę & mortis Christi traditur, κατ' ἐξοχὴν & *comparatè*, sic cum reliquis scilicet N. T. libris, adventum Christi non dissimulantibus equidem, dictorum tamen actionum & passionum Christi historiam prætereuntibus, & dogmatis explicandis ferè intentis comparentur, denotat. Sicut nempe quinque libri Mosis Veteris Testamenti quodammodo fundamentum, & primus à Deo datus fidei canon perfectus, cui explicando Prophetarum scripta deinceps inserviunt, cluent: ita quatuor Evangelia reliquis N. T. libris, instar canonis fidei & morum perfecti, simili ratione substernuntur, & operis pleni perfectione antecellunt. Nam legis sententiam, fidei articulos, Sacramentorum ac disciplinę Ecclesiasticę institutionem, & orationem Dominicam in solidum explicant. Meritòque etiam veteres Christiani hosce libros seu ὑπομνημονεύματα, uti idem, qui supra, Cyrillus vocat, hoc est, *Commentarios* de rebus gestis Christi, Ἐυαγγέλιον *Evangelium* inscri-

inſcripsêre, ut ipſo quoque nomine admoneretur *Evang.*
 lector, quantò lætiora libri hi complectantur, quàm *S. Mat-*
 Prophetarum vaticinia, quorum pleraque trille *thæi.*
 illud nomen $\kappa\alpha\tau\alpha$ *onus* prætulêre.

II. Vocatur Evangelium hoc $\kappa\alpha\tau\alpha$ *Matthæi* *Secun-*
secundum Matthæum, hoc est, secundum narrationem *dum*
 à Matthæo scripto traditam exaratum. Neque *Mat-*
 enim temerè scriptum est, $\kappa\alpha\tau\alpha$ *Matthæi* *thæum*
Matthæum potius, quàm *Matthæi* *Matthæi*. Vetus
 enim inscriptio erat: *Ευαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ* *Evangelium*
Jesu Christi, uti est Marc. I. 14. quia nimirum
 argumentum libri erat Evangelium à Christo, &
 de Christo præconiatum. Non potuit igitur scri-
 ptoris nomen poni. Sicut non dicimus: *Vita* *Casa-*
ris Plutarchi: sed scripta à Plutarcho. Proin *Evangelium*
secundum Matthæum nihil aliud est, quàm
 doctrina à Christo & de Christo tradita, prout
 à Matthæo literis consignata est.

III. Porrò *Matthæi* *Matthæus* nomen est ori- *Matthæi*
 gine Hebraicum, quod, Syriacè ܡܬܬܝ scriptum, no- *vox.*
 rat à Deo datum, donatum. Nequè enim placet, quòd
 apud doctiss. Kirſtenium de *Vitis Evang.* pag. 2f. 22.
 interpretatio nominis ejus ex Arabico ita petitur,
 ut sonet idem, quod ܐܡܫܬܘܗܝܐ *Almastaphei*, quod
electum, clarum, sincerum significat. Fuit autem
 binominis. Nam & Λεβι *Levi*, hoc est, *copulatus,*
associatus Deo, Marc. II. 14. Luc. V. 27. vocatur.
 Patre Alphæo oriundus, ante vocationem publica- *Origo,*
 nus insignis, $\text{καθήμενος ἐπὶ τὸ τελώνιον}$ *sedens ad* *Vita.*
telonium, Matth. IX. 9. à vocatione verò Apostolus
 & Evangelista nobilis, liberalissimæ gratiæ latissim-
 um præconium exercuit: doctrinæ Christi au-
 ditor diligens, operumque mirificorum spectator
 sedulus & industrius, passionis denique ejusdem,
 resurrectionis & ascensionis in Cœlum observator
 testisque fidelissimus extitit. Postquam verò in die
 Pentecostes donis Christi à Spiritu S. delibutus est,
 se alacer muneri Apostolico, initio viva voce
 Evangelium prædicando, mox etiam scripto illud
 consignando, accinxit: demum è Judæa in Æthio-
 piam profectus Christo plurimos lucratus est. De

Evang. morte ejus nihil certi admodum dicere habemus.
S. Mat- Antiquus Codex Arabicus, ex quo vitas Evangelii-
thæi. starum Kirstenius descripsit, martyrium illum, la-
 pidibus scilicet obrutum, obiisse במדינה בשברי in
 civitate Beschberi, quæ aliis, Venantio, Honorio,
 Clementiano *lib. 8. de gaudiis & spe vitæ aternæ*, ali-
 ter Naddaver dicatur, memorat. Alii in Æthiopia,
 Civitate Naddaver, post Regis Æglippi filium ex
 morte suscitatum, eoque miraculo conversum Re-
 gem & populum, ab Hyrtæco Rege succedente ca-
 pite truncatum asserunt, teste freti Abdia, à Julio
 Africano ex Hebræo converso. Nicephorus verò
lib. II. 41. apud Antropophagos in urbe Myrmæna
 clavis in terram defixum obiisse narrat.

Argu- I V. Narrat Matthæus pulchro & historico or-
men- dine, mira rerum digestionem & luce, natales Christi,
tum & quæ revelationem publicamque officii ejus fun-
libri. ctionem præcesserunt. Ubi verò fungi officio suo
 cœpit, quomodo & quales delegerit discipulos,
 quod docendi genus secutus sit, quid & quemad-
 modum docuerit, quanta passim miracula desi-
 gnarit, & quàm ingentibus populum beneficiis
 maclaverit: quid egerit publicè, quid privatim
 cum adversariis, quid cum amicis, quid cum infir-
 mis & peccatoribus, quid cum obstinatis & con-
 temptoribus, explicat. Quibus præterea virtutibus
 claruerit, quod exemplum vitæ prætulerit, quan-
 tâve autoritate polluerit, exponit. Postremò
 quemadmodum à Juda proditus Judæis, ab his
 illusus, damnatus, traditus gentibus, ab his quoque
 indignissimè tractatus, & in crucem actus, mor-
 tuus, & sepultus fuerit, tertiâ verò die resurrexerit,
 se redivivum suis exhibuerit, sacra ac ceremonias
 ordinaverit, & gratiosæ præsentia suæ præsidium
 promiserit, commemorat.

Idioma. V. De lingua, qua S. Matthæus Evangelium
 scripserit, exercita quæstio est. Et Hebraicè qui-
 dem ab eo conscriptum esse, veterum multi, Ire-
 naeus, Origenes, Eusebius, Epiphanius, Athana-
 sius, Hieronymus, alii, Papiæ, hominis cætera
 ἡ φιλολογία σμικρὴ τὸν νῦν admodum modico præditi judicio,
 uti

uti eum Eusebius *Histor. Eccles. lib. III. 39.* vocat, ^{Evang.} clarè asserunt: suffragantibus etiam Arabibus ^{S. Mat-} apud Kirstenium *de Vit. Evang. pag. 29.* Patricide ^{thæi.} *Annal. Alexandr. pag. 328.* & recentioribus non paucis, non Pontificiis duntaxat, Baronio, Gualterio, Cajetano, Huetio: sed Reformatis etiam, quibus etiam ὁ πῶτος Bullingerus nostras, & Gualtherus, & post illos Viri doctissimi, Casaubonus, Salmasius, Grotius, alique (qui tamen Ecclesiam Evangelio Græco, quod à Jacobo Apostolo conversum Athanasius, à Johanne, vel Barnaba alii statuunt, inde ab initio usam esse plerique non negant,) astipulantur. Accedunt inscriptio versionis Arabicæ ab Erpenio editæ, & subscriptio Syriacæ, quarum illa Matthæum scripsisse Evangelium in terra Palæstina עבראניא *Hebraicè*: hæc prædicasse illum Evangelium עבראית *Hebraicè* refert. Persica quoque Evangelii inscriptio sic habet: *Evangelium Matthæi, quod in urbe Palestina Lingua Hebraica dictum est, Antiochia verò Syriacè scriptum.* Denique S. Hieronymus *in Catal. Script. Eccles.* Hebraicum illud Matthæi Evangelium ad suum usque tempus in Bibliotheca Cæsareensi à Pamphilo Martyre studiosissimè confecta haberi: sibi quoque etiam à Nazaræis in Beroea Syriæ urbe habitantibus, & volumine isthoc utentibus, ejus describendi facultatem fuisse narrat. Hodièque Hebraica Matthæi duplex extat editio, quarum prior Sebastiani primùm Munsteri, atque iterum Johannis Quinquarborei operâ in lucem venit; altera à Johanne Mercero Latinè explanata, Johannis demùm Tili beneficiò publicata est. Utraque tamen à Judæis è Latina interpretatione conversa creditur. Jam verò, ita Doctiss. Huetius *de claris Scriptoribus pag. 112.* scribit, *aliquibusne locis causæ suæ faventes illi veritatem imminuerint, sensûsque mendaciis vitiârunt, non quæro: unum id perspicuum est, summam cæteroquin in iis sententiarum verborumque curam exsplendescere, quanquam incomtiore est prior illa Munsteri, & aliquando etiam, ubi lacer deficeret codex, ab illo resarta & expleta; cultior altera Tili & nitidior, sed levi ta-*

Evang. men & exiguo inter eas discrimine. Neutram tamen
S. Mat. genuinam veteris Hebraismi succum habere,
thai. Hebraicarum literarum scientissimi quique pronuntiant.

Græcè VI. Tametsi verò Hebraicè scriptum esse Evangelium hoc veteribus, Papiæ φιλομύθῃ incerta traditione, & Evangelio Matthæi Hebraico, quo Nazaræi & Ebionitæ utebantur, quòdque ab editione Græca pluribus in locis plurimum distat, & corruptum mutilumque esse, ipse Epiphanius hæres. 30. fatetur; & ex Græco potius translatum est, ut tantò libentius illud Judæi docti inprimis legerent; aut non viso, aut, uti plerique Patres Linguae Sanctæ parùm vel nil callentes fuerunt, non examinato, (Hieronimus enim solus Hebraicè doctissimus, postquam illud ad incudem revocavit, in dubio reliquit, an visum à se Evangelium Matthæi Hebraicum illud ipsum fuerit, quod Matthæum composuisse putavit,) deceptis placuit: Græcè tamen illum scripsisse, & Exemplar Græcum, quod hodie terimus, authenticum esse, nulli certè dubitamus. Etenim primò S. Matthæus Evangelium, in usum Hebræorum in Palæstina, & extra eam degentium, nec non gentium ad fidem Christi convertendarum, scripsit eâ procul dubio Linguâ, quæ in universum iis nota fuit. Talis autem Græca haud dubiè fuit, utpote non gentibus duntaxat plerisque vernacula, sed omnibus ferè etiam Orientalibus circa ea tempora nota. Ita Hierosolymit. Megilla fol. 9. *Quatuor sunt Linguae nobiles, quibus utitur mundus. vernacula,* (hoc est, Græca, uti tum ex encomiis ei Linguae in Thalmude tributis, tum ex eo, quòd semel iterumque occurrit *Bab. Megill. יוני יצן* in Lingua vernacula Græca, Doctiss. Lighthfootus *Hor. Hebr. in Matth. pag. 16.* probat) *ad cantum: Romana ad bellum: Syriaca ad luctum: Hebraica ad elocutionem. Et sunt, qui dicant, Assyriaca ad scripturam.* Lingua certè Hebræa pura tum temporis nonnisi doctis inter Judæos familiaris, cæteris vernacula non fuit, tum quia in Synagogis, cum legerentur lex & Prophetæ sermone Hebræo,

Lectori interpres, qui lecta vernaculo idiomate ^{Evang.} redderet, cuiusque etiam officium ^{S. Mat-} Bab. Megill. fol. ^{thæi.} 25. alibi exponitur, ad stare solitus est: tum quia circa tempus nati Christi libri historię & Prophetię V. T. à Jonathane, filio Uzielis, Hillelis discipulo; & paulò post etiam Pentateuchus ab Onkeloso Chaldaicè, ut ab omnibus intelligerentur faciliùs, redditi sunt: tum denique quia Christum ipsum non Hebraicè, sed Syriacè locutum constat. Neque tamen Syriaco seu Syro-Chaldaico idiomate, Judæis Palæstinis ferè vernaculo, scribì Evangelium par erat, (uti eo idiomate eam ob causam scriptum Viri doctissimi, Widmenstadius, Guido Fabricius, & post eos Brianus Waltonus *Prolegom. in Biblia Polygl. XIII. 6.* censent) tum quia Lingua illa, vernacula licèt Judæis, ingrata tamen iisdem fuit, adeò ut Syriacà Linguâ preces fundi non sinerent: tum quia abdicando mox populo Judaico, conveniens neutiquam fuit, linguam eorum vernaculam eò dignitatis evehi, ut Lingua Originalis N. T. foret, adeoque eorum linguâ Evangelium consignaretur, qui ei præ cæteris omnibus infensos se gesserunt. *Secundò* si Hebraicè Evangelium Matthæus scripsisset, pro eo conservando & Dei Providentia, & Ecclesiæ industria perenniter vigilasset indubiè. Nunc verò Evangelium Matthæi Hebraicum *μαθηματικόν* nec olim, Hieronymi imprimis tempore, Ecclesia habuit; nec hodièque illud haberi in confesso certè omnium est. *Tertiò* Græcè Matthæum scripsisse arguit interpretatio Hebraicorum nominum, veluti cùm cap. I. 23. *Ἐμμανὴλ* (seu *Ἐμμανή*) statim Græcè redditur, *μετ' ἡμῶν ὁ Θεός*, *Nobiscum Deus*: & cap. XXVII. 33. *Γολγοθᾶ* mox *κρανίς τόπος*; & v. 46. verba emortualia Christi illico Græcè repræsentantur. Quamvis enim etiam LXX. Interpretes, satis cæteroquin liberi, alicubi nomina propria Græcè interpretati sunt: integras tamen sententias, qualis emortualis illa Christi est, & Hebraicè poni, & Græcè converti nusquam reperias. *Quartò* argumentum præbet, quòd Græca Matthæi editio in

*Evang.
S. Mat.
thæi.*

plerisque locis, quæ ex V. T. citat, translationem Græcam septuaginta Interpretum sequitur: minimè id factura, sed Archetypum suum Hebraicum potius accuratè expressura, si ex tali Archetypo Hebraico fluxisset. Denique ratio nulla est, cur non eâdem Linguâ scripserit Matthæus, quâ reliqui N. T. scriptores libros suos exarârunt, cum iisdem, fidelibus puta Judæis, Græcæ Linguæ non ignaris, & gentibus ad Christum convertendis, ex æquo omnes scripserint. At Græcè reliquos omnes scripserint, manifestum in loco faciemus.

*Historie
structu-
ra, &
scriptio-
nis ge-
nūs.*

VII. Ipsa porrò historiæ hujus exædificatio siue structura posita est in rebus & verbis. Res traduntur duplici ordine, puta *naturali*, quo res eo ordine, quo gestæ sunt, describuntur; & subinde etiam *artificiali*, quo non per omnia naturæ ordo servatur, sed prout ei visum fuit, & lectorum utilitas postulavit, res gestæ explicantur. *Verbis* verò utitur ejusmodi, qualibus in historia uti convenit, simplicibus, planis, propriis & minimè obscuris, cumque lenitate quadam æquabili profluentibus. Sicut in rerum tractatione operosas rerum, personarum, temporum, locorum descriptiones, causarum discussiones elaboratas, aliâque historiæ ornamenta, à profanis scriptoribus affectari solita, negligit: ita in verborum compositione phaleras, & Rhetorices pigmenta inluper habet. Spiritui enim Christi sese organum præbuit, & ab eodem suggesta calamo suo expressit. Est autem Spiritus Christi modestus, simplex, integer, apertus. Proin dictio quoque, quâ usus Matthæus est, pura, & ab omni humanæ superbiæ affectione alienissima est. Non enim lingua expolita foris doctè strepens: sed Spiritus Sanctus efficaciter agens salutem operatur.

*Tempus
scriptio-
nis.*

VIII. Matthæum primum omnium Evangelium scripsisse, Hierosolymis, Athanasius in *Synopsi*, Chrysostomus & Theophylactus memorant. Eusebius quoque *Histor. Eccles. lib. III. 24.* narrat, Matthæum Hebræis primùm fidem prædicantem, inde ad alias quoque gentes digressurum, Evangelium

lium suum patrio sermone conscripsisse; ut id ^{Evāng.} quod præsentia suæ adhuc supereffe videbatur, ^{S. Mat-} scripto illis, quos relinquebat, suppleret. ^{thæi.} Quem sensum esse verborum Eusebii, adversus Christophorsonum, qui Eusebio hanc sententiam, quod Matthæus Evangelium post discessum à Judæis scripserit, suâ verborum *παραρρηγνεία* tribuit, doctissimus Valesius *Annot. ad h. l. pag. 52.* ostendit. Scripsisse verò illum Evangelium anno primo Imperii Claudii, nono post ascensionem Domini in Cœlum, antiquissimus Codex Arabicus à Kirstenio illustratus *pag. 24. 25.* tradit. quanquam tertio Imperii Caji Cæsaris, seu octavo post ascensionem Christi in Cœlum, illud scribi cœptum, & sequente demum absolutum, ibidem Kirstenius, collato eodem Codice cum Eusebii Chronico, comprobare nititur. Sed & Arabs Interpres, nec non vetustissimus Bezæ Codex in subscriptione Evangelium hoc in Palæstina octavo post ascensionem Christi anno scriptum innuunt. Aliter tamen Nicephorus, & Author Chronici Alexandrini, qui anno demum decimo quinto post ascensionem Christi in Cœlum, scriptum illud asseverant. Longius etiam Irenæus & Athanasius excurrunt, testantes, tum demum Matthæum scribere cœpisse, cum jam duo Apostoli, Petrus & Paulus, Romæ versarentur, & Romanis Evangelium prædicarent, quorum testimonio si standum est, Epistolæ Paulinæ non pauca ante Evangelium S. Matthæi scriptæ fuerint. Quæ verò harum sententiarum potior sit, haud admodum judicatu proclive est. Ampliorem tamen apud nos fidem illi merentur, qui & primum scripsisse, & in Palæstina ante discessum Apostolorum scripsisse censent, cum plurium veterum consensus eò aurigetur, & diu Evangelio scripto caruisse Ecclesia non videatur. Unum hoc addo, in Codice eodem Arabico Kirstenii haberi, cœpisse S. Matthæum scribere *בפלשטי* in *Palæstina*, sive Palæstina, provincia Syriæ, Arabiæ contermina; & complevisse illud *אלהנדר* in *India*, hoc est, Æthiopia. Nam Indorum

*Evang.
S. Mat.
thai.*

interdum nomine Æthiopes cenferi, viri doctiffimè observant: quamquam cum veterum assertione superius memorata non planè id consentit, nisi Hierosolymam ipsam sub Palæstina intelligi placet.

Partes. IX. Quinque Evangelicæ hujus historiæ partes commodè satis constituuntur. *Primò* enim persona Christi describitur & revelatur, cap. I. II. *Secundò* Præcursor ejus, Johannes Baptista munere suo fungens describitur, cap. III. *Tertiò* Actiones ejus, Conciones maximam partem & miracula pertexuntur, cap. IV-XXVI. *Quartò* ejusdem Passiones narrantur, cap. XXVI. XXVII. *Quintò* denique Gloriæ ejusdem consequentes memorantur, cap. XXVIII. Quas partes paucis nunc exponere conabimur.

I.
Personæ
Christi
descri-
ptio.
Cap. I.

I. *Personæ Christi descriptio & revelatio.* Cap. I. II. Vide

1. Personæ Christi secundum carnem natales, seu Genealogiam Regiam, inde ab Abrahamo ad Josephum usque, Mariæ maritum, deductam, (17) nec non conceptionem & nativitatem ejusdem ex B. Virgine. (25.) *cap. 1.*
2. Ejusdem tum revelationem factam Magis Orientalibus, stella duce & comite ex Oriente accitis & Hierosolymam venientibus, Bethlehemique novum Regem & liberatorem orbis adorantibus, (12.) mox Herode Christum novum Regem in herba extincturo, parentibus Christum fugâ in Ægyptum abstrahentibus, (15.) Herode oras Bethlehemiticas innocentissimo infantum cruore opplente; (18.) post cujus mortem Josephus cum suis Divinitus admonitus ex Ægypto in Judæam reversus, unâ cum Christo Nazarethi habitat. (23.) *cap. 2.*

II.
Præcur-
sor.

II. *Præcursor Christi, Johannes Baptista, munere suo fungens.* Cap. III.

3. Johannes nempe Baptista in deserto pœnitentiam prædicans, & Christum præsentem demonstrans, & plurimos in fidem Christi baptizat, (6.) graviter increpitis Pharisæis & Sadducæis, simulata pietate ad Baptismum hunc aspirantibus, (12.) & Jesum ipsum è Galilæa ad Jordanem concedentem, baptismumque ejus expetentem, S. Trinitate ex Cœlo magnificè ei attestante, sacris undis tingit. (17.) *cap. 3.*

III.
Actio-
nes.

III. *Actiones Christi, conciones maximam partem & miracula.* Cap. IV--XXVI. Videtis

I. Præ-

1. Præparationem ad eas per tentationem Sathanæ, qui *Evang.*
Christum, in ediam ad quadragesimum usque diem pro- *S. Matth.*
ducentem, aggressus, ter tentat, hamo projecto inanis *thei.*
gloriæ illecebrâ inescato. Quo divina arte Scriptura- *Cap. 4.*
rumque præsidio eximie eluso, (12.) acceptoque de Jo-
hanne in vincula coniecto nuntio, in Galilæam reversus
Capernaum sedem deligit, propalam Evangelium præ-
dicat, (17.) & chorum aliquem discipulorum, quos fami-
liares habet testes omnium, quæ docturus facturus-
que erat, collecturus, ambulans juxta lacum in confinio
Galilææ, duos fratres Germanos, Simonem & Andream,
filios Johannis; & aliquantulum progressus duos alios
fratres, Jacobum & Johannem, filios Zebedæi, vocat,
obsequentesque habet, (22.) ac demum circumiens
Galilæam totam publicè prædicat, ægrotos sanat,
magnamque sibi auctoritatem conciliat. (25.) *cap. 4.*
2. Concionem in monte habitam. *cap. 5--8.* ubi
- a. Conspiciens turbam magis magisque densari pro- *5.*
miscuis hominum generibus, monte conscenso. ubi
ceu ardua quædam feriæque docturus, confidens ve-
lut ex herbido thoro beatitudines promulgat, &
quos vulgus miseros, ipse beatissimos prædicat. (12.)
Apostolos cum sale terræ, luce mundi, & civitate
conspicabili contendens, officii admonet, (16.) deni-
que legem universam, genuinumque ejus sensum à
pervertis Phariseorum interpretamentis vindicat.
(48.) *cap. 5.*
- b. Eleemosynis, precibus & jejuniis certas leges dicit, *6.*
(18.) thesauros salutes, verasque in Cælo divitias
parandas docet, (21.) animi rectitudinem suadet,
(23.) & homines se Deo & hominibus, Cælo & terræ,
partiri vetans, (25.) avaritiæ morbum, humanæ
necessitatis prætextu velatum, corrigit. (34.) *cap. 6.*
- c. Eos, qui sibi in gravissimis peccatis ignoscentes, erga *7.*
fratrem peccantem judices inclementissimos agunt,
corripiens, (5.) sacra profanari vetat, (6.) petenda à
Deo beneficia, nulli negante, nulli invidente, dum
eorum pretium agnoscat, monet, (11.) formam
generalem ad vitæ consuetudinem, quæ mutuis offi-
ciis juvatur, pertinentem præscribit, (12.) portæ an-
gustæ & latæ seu patentis mysterium pandit, (14.)
commercium cum Pseudoprophetis, quos suis colo-
ribus describit, prohibet, (23.) denique auditores
sermonum suorum rectos cum viro provido pruden-
tique, qui, solidum ædificium structurus, ante omnia
sibi solidum & immobile fundamentum dispicit,
comparat. (20.) *cap. 7.*
3. Miracula varia, puta leprosum extensa manu, soloque *8.*
nutu voluntatis curatum, (4.) centurionis servum, pro
quo ceu unice charo & ministeriis utili ille Christum
imploravit, restitutum, (13.) Petri focrum valida febre
corruptam & sanatum, (15.) dæmoniacos liberatos,
(18.)

*Evang.
S. Mat-
thæi.*

- (18.) Scribam & prodigia in societatem ejus prurientem de incommodis eorum, qui se comitari vellent, admonitum, (20.) alterumve etiam occasionem se subducendi quærentem correptum, (22.) tempestatem dormiente Christo obortam, ab eodem sedatam, (28.) denique in regione Gergesenorum duo dæmonia atrocissima ex obsessis ejecta, & cum id beneficium orarent, in porcorum greges immissa. (34.) *cap. 8.*
- Cap. 9. 4. Paralyticum sanatum, peccatis eidem remissis, nequicquam obmurmurante scriba, (8.) Matthæum à telonio ad Evangelium avocatum, frustra Phariseis commercium cum publicanis exprobrantibus, (13.) jejunandi occasionem demonstratam, (17.) centurionis filiam vitæ redditam, & in eodem itinere mulierem à sanguinis profluvio liberatam, (26.) cæcisque humiliter supplicibus visum, (32.) & muto sermonem, pulso etiam Diabolo, restitutum, (34.) doctrina & miraculis omnia replente, & erga dissipatum populum intimum misericordiae affectum exerente Domino, (38.) *cap. 9.*
10. 5. Delectum discipulorum duodecim, quos potestate insigni pellendi dæmonia, curandique morbos instructos, (4.) ad perditas oves domus Israël Evangelii prædicandi, & ægrotos sanandi gratiâ, commendata iisdem *αὐταρχεία*, promptitudine, in adeundis dexteritate, ablegat, (15.) & contra metum persecutionum, injuriarumque hominum, patientiæ & præsentiae ac providentiæ suæ scuto munitos, firmat & solatur. (42.) *cap. 10.*
11. 6. Responsum Johannis discipulis à Christo de se perhibitam, (6.) & ab eodem amplissime prædicatas Johannis laudes, (19.) graviterque increpitas urbes, Chorazin, Betsaida & Capernaum, pœnitere nescias, (26.) laudata interim, post perceptum ex præconio discipulorum fructum, Dei Patris *Εὐδοκία*, mysteria sua rudibus impertientis, sibi que potestatem tantam concedentis, (27.) & benignissime ad se invitatis miseris omnibus, dummodo simplici sinceroque pectore, excusso jugo mundi, Evangelicæ doctrinæ jugum promptè subeant. (30.) *cap. 11.*
12. 7. Doctrinam de operibus charitatis & misericordiae sabbatum decentibus, (8.) cujus etiam in curanda sabbathi die dextra manca & arefacta specimen præbet, nec non restitutum dæmoniacum cæcum & mutum, (23.) unde Pharisei, Christum dæmonia per Beelzebubem expellere blasphemantes, ipsi à Christo blasphemiarum rei peraguntur, (37.) & Scribis, signum à Christo expetentibus, signum Jonæ applicatur, gravissimumque desolationis judicium, sub ænigmatate septem spirituum uni expulso succedentium, denunciatur, (45.) denique quæ vera mater, qui fratres Christi sunt, demonstratur. (50.) *cap. 12.*
13. 8. Explicationem Regni cælorum, seu prædicationis Evangelii per involucria parabolarum, puta feminis in agrum

agrum sparſi, (23.) fatoris, & Zizanii à maligno inter-
ſperſi, ante meſſem tamen non eradicandi, (30.) grani
ſinapis, (32.) fermenti, (33.) ratione mox reddita fer-
monum parabolicorum, (35.) & declaratâ diſcipulis
parabolâ fatoris, (43.) theſauri in agro deſoſſi, (46.)
fagenâ in mare miſſâ, quæ latè ſparſa omne genus
piſcium involvit, (52.) quâ abſolutâ in Patria Nazarethi
docens Chriſtus à popularibus, eum non ex virtutibus
ejus, ſed ex fortunis generiſque ſplendore æſtimanti-
bus, ſpernitur (58.) *cap. 13.*

*Evang.
S. Mat.
thæi.*

9. Narrationem martyrii Johannis Baptiſtæ, (13.) quo
audito Chriſtus in deſertum, ſubtrahens occaſionem
ſclerato Regi, ne homicidium homicidio jungeret,
ſeceſſit, ubi ingentem multitudinem hominum panibus
hordeaceis quinque & piſcibus duobus cibavit, (21.) &
diſcipulis lacum trajicientibus, diſcrimenque coorta
tempeſtate adeuntibus, in aquis ambulans ſuccurrit,
(33.) & in regione Gennethareth oblatos à confluentibus
undique morbis obnoxios ſanat. (36.) *cap. 14.*
10. Inveſtivam gravem in traditiones & inſtituta humana
à Phariſæis religioſè nimis commendata; (20.) mulieris
Cananææ filiam poſt inſtantiffimas preces, filiamque
variè exploratam à Dæmonio liberatam, aliâque
miraculoſè designata: numerosâque multitudinem
hominum ſeptem panibus, paucis que piſculis ſuſten-
tatam. (39.) *cap. 15.*
11. Phariſæorum, ſignum è Cælo petentium ſubdolè,
proterviam eluſam, (4.) eorundemque doctrinam fal-
ſam fermenti ænigmate confutatam, (12.) & Apoſtoliſ
ex Petri ore confeſſionem præclaram edentibus, ſtru-
cturam Eccleſiæ ſuper petra, clavèſque regni Cælorum
liberaliter promiſſas, (20.) Petrum prædictas paſſiones
Chriſti impediturum reprehenſum graviter, (23.) com-
mendatam denique ſequelam Chriſti (28.) *cap. 16.*
12. Tranſfigurationem Chriſti, coram tribus diſcipulis,
quâ facie ejus in morem ſolis refulgente, & veſtimentis
niveo colore relucentibus, apparentibus Moſe & Elia,
Petrus, totus raptus voluptate ac Majeſtate ſpectaculi,
tria tabernacula extrui petiit, & nube mox lucida
Apoſtolos obumbrante vox Patris de nube Chriſto
Prophetæ unico atteſtans ſonuit, (8.) & Chriſtus diſci-
pulos de reditu Eliæ docens, (13.) Lunaticum ab im-
mundo Spiritu miſerè divexatum reſtituit, (21.) inſtan-
tes paſſiones ſuas prædicat, (23.) & Capernaum redux,
nullo debito, ſed offendiculi vitandi gratiâ tributum
ſolvit; ſtaterem in ore piſcis inventum. (27.) *cap. 17.*
13. Inſtitutionem Chriſti, qua ſtimulum livoris & ambi-
tionis ex diſcipulorum animis eliſurus, typo pueri in
medio diſcipulorum ſtatuti, eos ſimplicitatem & humi-
litate docet, (5.) parvulos non offendendos, gravi
conſtituta ſcandali pœna, ſed potiùs juvandos, in viam
reducendos monet, (14.) modum corrigendi fratris
offen-

15.

16.

17.

18.

*Evang.
S. Mat-
thæi.*

- offendentis, gradusque præscribit, (20.) offensarum condonationem, parabolâ ejusdem, & debitoris mille talentorum, cui tantum æs herus dispenxerat, & creditoris centum denariorum, quos ille ferociter nimis exigens, graviter ab hero multatur, propositâ, seriò suadet. (35.) *cap. 18.*
- Cap. 19.** 14. Institutionem ejusdem de divortio, quatenus illud illicitum, licitumve sit, (9.) & quatenus nubere conducatur, vel non, (12.) mox Christo infantibus manus imponente, (15.) juvenem propriæ justitiæ typho inflatum præcepto vendendi bona sua in notitiam sui perducen- te, (22.) & divitum in adipiscenda salute obstacula explicante, (27.) discipulisque pro vilibus illis, quæ promptè reliquerunt, non vile præmium reponente, (29.) monitis tamen, contingere posse, ut primi novissimi existant. (30.) *cap. 19.*
20. 15. Parabolam vocatorum diversis vicibus in vineam domini, idem præmium pro impari labore accipientium, quâ docet Christus, fieri posse, ut ultimi primi fiant, & salutem non à vocatione, sed ab electione pendere, (16.) prædictis denuo passionibus instantibus, (19.) & tum filiis Zebedæi, in Regno Christi primatum affectantibus, tum discipulis subringentibus ambitionis fibras eodem evellente, humilitatèque commendante, (28.) denique duos cæcos constanti erga eum fiducia opem ejus ingeminantes, visu donante, (34.) *cap. 20.*
21. 16. Ingressum Hierosolymæ, ad celebrandum pascha ultimum, & ea quæ paulò ante passionem in ea urbe Christus docuit fecitque. *cap. 21-26.* Christus nempe
2. Hierosolymæ approximans, ex monte olivarum, duos discipulos legavit in proximum vicum, asinam alligatam & pullum cum ea inventuros & ad ipsum adducturos, (6.) quo pullo vectus Christus, adgratulantibus cunctis urbem ingressus, (11.) mox Templum adiens, factò è funiculis flagello ementes & vendentes inde expulit, Templumque purgavit, cæcos, claudosque illud frequentantes sanavit, (17.) altera die denuo urbem ingressurus ficum nihil habentem præter folia execratus est, precum simul efficaciam discipulos docuit, (22.) mox etiam Templum adiens Sacerdotes de autoritate idonea controversiam sibi moventes repulit, (27.) & narrata parabola duplici, alterâ duorum filiorum, hypocritæ & pœnitentis, (32.) alterâ patris familiæ vineam locantis agricolis, qui servos ad colligendos fructus submissos tertia vice pulsant, occidunt; denique & filium heri malè multant; his tum hypocrisin, tum ferociam adversus Prophetas & se exprobrat, judiciùmque denuntiat. (46.) *cap. 21.*
22. b. Parabola nuptiarum, Regis filio paratarum, ad quas invitati alii frivolis causis se invitatoribus excusant, alii eos multis affectos contumeliis tandem occidunt, promiscua deinceps multitudine undiquaque colle-
cta,

ta, & ad convivium discumbente; docet, obstinatâ *Evang.*
Judæorum malitiâ fieri, quòd rejiciantur ab Evange- *S. Mat-*
lica salute, quam mox gentes occupaturæ sint; (14.) *thæi.*

Pharisæos sic perstringi se sentientes, & occidendi eum opportunitate quæsitâ, eum per subornatos discipulos & Herodianos, proposita de tributo Cæsari solvendo quæstione, tentantes repellit, (22.) Sadducæos post de resurrectione futura, soluto de septem unius uxoris maritis dubio, edocet, (33.) scribæ, quod præcipuum in lege mandatum sit, demonstrat; (40.) denique tot quæstionibus à Pharisæis tentatus, vicissim illis quæstionem, cujus filius Messias esset, proponit, eosdémque ita constringit, ut posthac nemo quæstionibus ejusmodi eum adoriri sustinerit. (46.)

cap. 22.

c. Phariseorum & Scribarum, quorum doctrinam qui- *Cap. 23.*
dem in cathedra Mosis sedentium, audiri non vetat,

(3.) hypocrisim, sibi nihil non indulgentium, ut ab aliis plus quàm totam legem exigentium; ambitionem, avaritiam, iniquitatem, perjuriam, crudelitatem, aliâve gravissimè pulsans, (33.) Hierosolymæ omnium homicidiorum, inde à primo Caini parricidio, quò Abelem occidit, usque ad cædem Zachariæ filii Barachiz, reæ horrendam calamitatem denuntiat, novumque suum in nomine Domini adventum præfagit. (39.) *cap. 23.*

d. Excidium Hierosolymæ prædicens, (2.) ejusdem *24.*
tempus discipulis sciscitantibus certis notis sic declarat, ut simul ultimi temporis & consummationis Seculi approximantis signa prognostica, (28.) nec non concomitantia insinuet, (41.) vigilantiamque enixè suadeat, promisso servo prudenti fidelique præmio, & malo infidelique *διχοτομία* denuntiata. (51.) *cap. 24.*

e. Parabolâ geminâ, alterâ quidem de decem virgini- *25.*
bus, quæ sumptis lampadibus suis sponso obviam exiverunt, non cessandum & dormitandum esse in hac vita, sed assiduo cultu pietatis & officiis in proximum parandum viaticum in futuram vitam docet: (13.) alterâ de servis, quibus Dominus peregrè profectus diversa talenta, ex quibus Domino suo lucrum referrent, discipulos suos ad perpetuum studium bonorum operum, nève committant, ut doctrinam & doctes à se acceptas suâ negligentia steriles esse fereant, sed studio curaque in utilitatem proximi sui vertant, extimulat, (30.) denique sui ad judicium adventus majestatem, segregationem bonorum à malis, totamque judicii supremi imaginem oculis subjicit. (46.) *cap. 25.*

I V. *Passiones Christi.* Cap. XXVI. XXVII. Ubi *IV.*
narrantur *Passio-*
nes.

x. Sacerdotum in atrio Cajaphæ de Christo capiendo *con-*

*Evang.
S. Mat-
thæi.*

consilium, (5.) mulieris caput Christi pretioso unguento perfundentis facinus à Christo laudatum mirifice, (13.) Judæ pactum de prodendo ipso, (16.) pascha ultimum celebratum, (25.) ei que substituta Sacræ Cœnæ institutio, (29.) prædictio mortis proximæ & resurrectionis, nec non abnegationis Petri, (35.) testificatio ingentis mœroris Christi in horto Gethsemane facta, discipulis selectis, quos inter preces suas dormitantes ad vigilantiam hortatur, (46.) Christi, Juda proditore, captivitas, Petrique irritus ejus protegendi conatus, à Christo, aurem Malcho præcisam restituente, repressus; (56.) damnatio ejus in ædibus Cajaphæ, post subornatos falsos testes conclusa, illusioque nefaria, (68.) Petri exitum rei foris in atrio operientis, & ab ancilla proditi, Christum non sine diris, quibus se ipsum devovebat, abnegantis tristis lapsus. (75.) *cap. 26.*

Cap. 27. 2. Christi in manus Pilati traditio, (2.) Judæ sceleris pœnitentiâ nequicquam ducti feralis exitus, (10.) Christi condemnatio, post impacta ei crimina falsissima, flagellatio, crucifixio, & in cruce petulantissima illusio (44.) mors, mortemque comitantia prodigia, (56.) & sepultura per divitem procurata splendide, (61.) sepulchrumque obsignatum, & admotis custodibus accurate observatum. (66.) *cap. 27.*

V. V. Gloria resurrectionis Christi. Cap. XXVIII.
Gloriæ. 28. Christus, nempe saxo ab ostio monumenti per Angelum cœlitus descendentem amoto, resurgens ex mortuis, ab Angelo eodem utrique Mariæ cum aromatibus sepulchrum adeunti revelatur, & iisdem attonitis nuntium discipulis laturis apparet, easdem ad discipulos, & hos in Galilæam ablegat; Sacerdotibus mendacium à custodibus pecuniâ redimentibus, rumore scilicet spargentibus, quod furtim sublatus sit Christus, (15.) Christo contra in Galilæa discipulis apparente, & de potestate omni sibi data præfato, eosdem ad prædicandum baptizandumque ad gentes omnes ablegante, & præsentiam suam jugem promittente. (20.) *cap. 28.*

TABULA SYNOPTICA S. MATTHÆI.

Partes.

- I. Personæ Christi descriptio & revelatio, cap. I. II. ubi
 1. *Ejus genealogia, conceptio & nativitas, c. 1.*
 2. *Revelatio facta Magis, fuga in Ægyptum & reditus, c. 2.*
- II. Præcursor ejusdem Johannes Baptista, plures in ejus fidem, ipsumque Christum baptizans, cap. III.

III. Actio-

III. Actiones Christi, doctrina & miracula, cap. *Evang.*IV--XXVI. ubi *S. Mat-*

1. Preparatio per tentationem, & delectum discipulorum, c. 4.
2. Concio in monte habita, c. 5--8. ubi
 - a. Beatitudines, Apostolorum munus, & lex vindicata, c. 5.
 - b. Doctrina de Eleemosynis, precibus, avaritia, c. 6.
 - c. De judiciis circa fratres, precibus, possessione genuina, c. 7.
3. Leprosus, centurionis servus sanati, mare sedatum, Diaboli pulsi, c. 8.
4. Paralyticus, hæmorrhousa, cæci, demoniaci sanati, Matthæus vocatus, filia ex mortuis suscitata, commiseratio populi, c. 9.
5. Discipulorum missio prima & instructio, c. 10.
6. Responso Johanni data, ejusque laudes, increpatio urbium, invitatio miserorum, c. 11.
7. Opera Sabbathum decentia. Peccatum in Spiritum, S. Mater, frater Christi, c. 12.
8. Parabola Satoris, zizanii, fermenti, sinapi, thesauri, margarite, sagena, Christique in patria contemptus, c. 13.
9. Johannis B. martyrium, cibatio multorum miraculosa, Christus aquis inambulans, c. 14.
10. Invektiva in traditiones, filia Cananea, alii que sanati, cibatio miraculosa, c. 15.
11. Signum à Pharisæis petatum, eorumque fermentum, confessio Petri, passiones & sequela Christi, c. 16.
12. Transfiguratio in monte, Johannes, Elias, lunaticus sanatus, passiones Christi, solutio tributi, c. 17.
13. Humilitas commendata, periculum scandali, correptio fratris, condonatio offensarum, c. 18.
14. Doctrina de divortio & cælibatu, juvenis presumptio repressa, c. 19.
15. Parabola de vocatis in vineam, passiones prædictæ, humilitas Ministris commendata, cæci restitutio, c. 20.

Evang.
S. Mat-
thæi.

16. *Ingressus in Hierosolymam*, c. 21--26. ubi
 a. *Purgatio Templi, ficus maledicta, baptisma Johannis*, c. 21.
 b. *Parabola de nuptiis, tributum, filius Davidis*, c. 22.
 c. *Invectivæ in Scribas, Phariseos, Hierosolymam*, c. 23.
 d. *Hierosolymæ & Mundi ultimum judicium*, c. 24.
 e. *Tempus judicii*, c. 25.
- IV. *Passiones Christi*, cap. XXVI. XXVII. ubi
 1. *Historia passionis, usque ad abnegationem Petri*, c. 26.
 2. *Passio reliqua, mors & sepultura*, c. 27.
- V. *Gloria resurrectionis Christi*, cap. XXVIII.

A. *Interpretes quatuor Evangelistarum.*

- S. PATRES.** Anshelmus, Apollinarius, Eusebius Cæsariensis & Emisenus, Euthymius, Gregorius Nazianzenus, Hilarion, Theodorus, (Cyrus) Theophylactus, Theophilus Antiochenus, Vire.
- REFORMATI.** Aretius, Brunfelsius, Bucerus, Grynæus, Leo Nardus, Megander, Neubergerus, Pellicanus, Rosfæus, Scultetus, Strigelius, Walæus (Bald.) Zwinglius, Herlinus, Sax, Gürtlerus, Junius. *Angli.* Bois, Taylor, Gartwath, Hiud, Whelocus.
- AUGUSTANI.** Avenarius, Bakmeisterus, Blocius, Chemnitius, Dietericus, Epplinus, Gerhardus, Hemmingius, Himmelius, Hoë, Kesslerus, Kirstenius, Lutherus, Major, Osiander, Radmannus, Sarcerius, Sconerus, Selneccerus, Waltherus, Winkelmannus, Lyserus.
- PONTIFICII.** Auzales, Benedictus, Bonfrerius, Bouliaudus, Bourghesius, Brugenfis, Cassia, Cantarellus, Castro, Conzen, Corroy, Faber, Galarza, Gislandis, Granada, Loricus, Ludolphus Carthusianus, Maldonatus, Mandina, Montanus, Natalis, Novarinus, Pavonus, Perez, Placentinus, Riccius, Rupertus, Scribonius, Stapletonus, Sylveira, Cajestanus, Barradas, Serpinianus.
- Adde Interpretes Librorum N. Test. omnium. Cap. I.

B. *Interpretes S. Matthæi seorsim.*

- S. PATRES.** Ambrosius, Cyprianus, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Hilarius, Rathpertus, Chromatius, Beda, Claudius Scotus, Zacharias Chrysoopolit.
- REFORMATI.** Danæus, Gomarus, Heideggerus, Junius, Munsterus, Musculus, Oecolampadius, Spanhemius uterque, Stepharus, Paræus, Huyfinga, Rombout

van Till. *Angli.* Dixon, Fullerus, Perkinfus, Ward, Pri-*Evang.*
cæus, Philippus, Tyndal. Blackmod, Morus. In partes *S. Mar-*
varias commentatores *Anglos* plurimos Cl. Kempius *ci.*
Biblioth. Angl. pag. 146. 147. &c. exhibet.

AUGUSTANI. Bugenhagius, Cruciger, Chytræus, (David)
Hegendorfius, Hunnius, Lutherus, Melanchthon, Pe-
largus.

PONTIFICII. Alliaco, Benedictus Papa, Bonaventura, Bre-
denbachius, Capponus, Clarius, Corderius, Druthmarus,
Ferus, Guevara, Guilielmus Paris, Hesselius, Sanctotifius,
Titelmannus, Tostatus, Tomitanus, Venantius, Rupertus,
Thomas, Abulensis, Mediavilla, Cajetanus, Lovanius,
Salmeron, Palatius, Jansenius, Maldonatus, Fr. Lucas
Brugenfis, Baradius.

Adde Interpretes Librorum N. T. Cap. I. nec non quatuor
Evangelistarum supra Literâ A. denique Harmoniæ
Evangelicæ, infra Cap. VI.

CAPUT III.

DE

Evangelio S. Marci.

BREVARIUM.

Inscriptio. 1. Marcus unde dictus. Non est Johan-
nes. Marcus, cujus *Act. 12:12.* mentio. 2. Genus
vitæ Marci. An fuerit ex numero 70. discipu-
lorum? Ubi, & quo mortis genere occubuerit,
incertum. 3. *Scriptio* nis occasio ex Eusebio nar-
rata & dijudicata. Cur Petro vel dictatori vel
scriptori tribuatur Evangelium hoc à veteribus
nonnullis? 4. Argumentum libri. An fuerit
breviator Matthæi? 5. Non Latino sed Græco
idiomate scriptum esse, probatur. Traditionis
de authographo Latino Venetiis custodito in-
certitudo. 6. Tempus, quo Evangelium scriptum
est, certum desiniri nequit, pugnantibus narra-
tionibus Eusebii & Irenæi. 7. Partes Libri quin-
que sunt. I. Historia ministerii Johannis. (Cap.
I. 1--9.) II. Christi præparatio ad obeundum
munus. (Cap. I. 9--14.) III. Actiones Christi,
doctrina & miracula. (Cap. I. 14--usque ad Cap.

Evang.
S. Mar-
ci.

XIV.) IV. *Passiones Christi. (Cap. XIV. XV.)*
V. *Gloria resurrectionis & ascensionis in Cœ-*
lum. (Cap. XVI.) *Interpretes Veteres, Reform-*
mati, Augustani, Pontificii, nec non Tabula
Synoptica Libri. 8.

Inscri- I. **I**nscribitur Liber hic *Εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Μάρκον,*
ptio. *Evangelium secundum Marcum,* de quo titulo
judicandum ex iis, quæ supra de inscriptione
Matthæi simili diximus.

Ortus. II. Judæus igitur licet, & quidem *ἑβραίων* po-
Marci. tius quàm *ἑλληνίζων*, Hierosolymitanus quinetiam,
uti non pauci ex Act. XII. 12. colligunt, (de quo
post,) Romano tamen nomine *Marcus* à veteribus
nominatur. Conjectant autem eruditi, Hebræum
nomen illum habuisse, à Latino illo non planè
abludens, & cum Latino illud post commutâsse.
Ita Jobus Oniæ Frater Jason, Saulus Paulus dictus
est. Et quibus hodie *Mardocheis* nomen est, ii
Marci appellantur. Quicquid sit, Hebraicum
primò nomen illi inditum esse, mox verò adscitum
Marci nomen ipsi hæsisse, verisimile est. An verò
primitus nuncupatus fuerit *Johannes*, adeoque is
ipse sit, qui Act. XII. 12. vocatur *Ἰωάννης ἐπικαλέ-*
μεν Μάρκον, *Johannes cognominatus Marcus*, Fi-
lius Mariæ, quem ibidem v. 25. Barnabas & Pau-
lus præconii comitem sibi junxisse leguntur, uti
Doctiss. Kirftenius, aliique non pauci statuunt,
non planè liquet. Id sanè Doctissimus Grotius in
dubium vocat his argumentis: quòd veteres scri-
ptorem hunc constanter Marcum, Johannem nun-
quam insigniant: quòdque ita illum S. Petro co-
mitem jungant, discipulumque, ut non tantùm de
Barnaba, sed & de Paulo, quem *Johannes-Marcus*
ille post obortum frigusculum sectatus est, Col.
IV. 2. 2. Tim. IV. 11. Philem. 24. nihil meminerint.
Proin etiam in Martyrologio Romano Marci
Evangelistæ 25. April. Johannis-Marci verò, ceu
diversi, 27. Sept. mentio fit. Rem igitur sic satis
dubiam in medio relinquere, quàm temerè aliquid
definire malumus.

III. Genus vitæ S. Marci, antequam discipulus *Evang.* Domini fieret, pro certo non constat. Sacerdotem *S. Marc.* fuisse, utque ministerio inutilis esset, pollicem sibi ^{ci.} præcidisse, apud Hieronymum nonnulli tradidêre. ^{Gentis} Post conversionem ad Christum i. Pet. V. 15. vocatur ^{vitzæ.} *ÿs Filius Petri*: à quo forte etiam conversus est, cuique comitem posthac ipsum veteres adjungunt. An fuerit ex numero LXX. discipulorum, quos Christus sibi ascivisse Luc. X. 1. dicitur, uti Theophylactus, aliique censent, incertum etiam est. Ita enim S. Petrus ipsum *Fratrem* potius quam *Filium* vocasset. Eusebius *Histor. Eccles. lib. II. 16.* pro manifesto tradit, eum Alexandriae in Ægypto primùm prædicatione Evangelii Ecclesiam Christo collegisse. Ibidem anno octavo Neronis mortuum & sepultum eum esse, Hieronymus in *Script. Eccl. Catalogo* memorat, & ab eodem tempore Alexandriae in more fuisse, ut Presbyteri unum ex se electum sibi præficerent, quem Episcopum nominent, (unde tamen Marcum Alexandriae Episcopum fuisse, perperam Episcopales contendunt) idem Hieronymus *Ep. 85. ad Evag.* asserit. At vetustissimus Codex Arabicus Kirstenii anno septimo Regni Claudii Alexandriam eum venisse, & decimo quarto martyrium ibidem obiisse, habet: de quo paulò post uberius. Ex eodem Codice, ubi vox *מדר* *incinerare* occurrit, idem Kirstenius colligit, S. Marcum Alexandriae, altera die, cum fune ex villis cervici injecto per strata miserrimè tractus fuisset, ad dissolutionem carnum usque rogo impositum, per flammam in cineres redactum, obiisse. Nos verò etiam Marci Martyrium, *quia fide dubia ac recenti nititur*, uti rectè doctiss. Blondellus *de Episcop. pag. 7.* loquitur, in medio relinquimus, donec certiora proferantur.

IV. Occasionem scripti à S. Marco Evangelii ^{Occasio} hanc Eusebius *Histor. Eccles. lib. II. cap. 15.* prodidit, quòd Romanis enixè eum rogantibus, ut doctrinæ illius, quam à S. Petro audiverint, scriptum aliquod apud se monumentum relinqueret, gratificandum duxerit, Evangeliumque ad eò scripserit: quòd-

Evang. que S. Petrus cum per revelationem Spiritus S.
S. Mar- cognovisset, delectatus ardenti hominum studio,
ci sua autoritate, ut deinceps in Ecclesiis legeretur,
 confirmaverit. Unde forte ortum, quod Græcorum
 multi, etiam Athanasius in *tract. de libris scripturae*, & Orientales nonnulli, velut Euychius
 Alexandrinus, aliique Petro dictatori vel scriptori
 Evangelium isthoc acceptum tulerint. Quod ex
 Papiæ testimonio, apud Eusebium *Hist. Eccles. lib. III. 39.* ita accipiendum doctiss. Valesius *Anot. ad b. l.* monet, quod cum Petrum prædicantem audisset Marcus, singula, quæ ad Christum pertinebant, Spiritu Dei studiosè digesserit. Quæ tamen Eusebii narratio, cum incertis hypothefibus quibusdam nitatur, & alii etiam veteres Alexandriae in Ægypto scriptum Evangelium tradant, fidem certam non meretur.

Argu-
men-
tum.

V. Argumentum commune Evangelii S. Marci idem est, quod S. Matthæi, præterquam quod conceptione, nativitate, infantia, pueritia & juventute Christi silentio transmissa, Evangelium suum à Johannis Baptistæ ministerio auspicatus, reliquum Christi in Galilæa & Judæa obitum ministerium, passionem, resurrectionem & ascensionem in Cælum pertexit. Compendio igitur Evangelium docta brevitate ita confringit, ut Epitomen quandam Evangelicæ historiæ confecisse non malè dicatur. Quamvis autem *Breviatorem S. Matthæi* S. Augustinus nuncupet, fortè quia concisius multa quàm Matthæus scripsit: non iccirco tamen Matthæum de industria in compendium redegisse videri debet. Eiusdem enim Spiritus S. instinctu Evangelium scripsit, non ex Matthæo sua descripsit. quod Scripturæ, quæ tota Θεογραφία est, Majestati non parùm derogaret. Nonnulla etiam fusè narrat, quæ S. Matthæus ne quidem attigit. Neque etiam eundem, quem S. Matthæus ordinem tenet. Denique nonnulla, à S. Matthæo fusè narrata, ne quidem attingit. Quæ certè S. Matthæi propriè illum breviatorem non fuisse, satis arguunt.

VI. Latino idiomate Evangelium scripsisse S. ^{Evang.} Marcum, Interpretes veteres Orientales, Persa & ^{S. Mar-} Arabs, in ipso statim limine, tradidère. Syrum ^{ci.} verò perperam eodem alii trahunt, qui Marcum ^{Idioma:} Evangelium suum רומאית Romanè (qua tamen voce etiam Græcam Linguam insigniri, Doctiss. Seldenus *Comment. ad Euthych. Observ. 28.* probat) (רבר) prædicasse, non scripsisse, in subscriptione innuit. Latine tamen eum scripsisse, recentioribus etiam non paucis, Baronio inprimis *ad A. 45. Ss. 31.* Possævino in *Apparatu*, Bellarmino *lib. II. de Verbo Dei cap. 7.* aliisque placet. Sed infirmo illi tibicine nituntur. Quia enim Romæ Evangelium illum scripsisse, Eusebio credunt, Romano idiomate illum scripsisse colligunt. At nec Romæ illum Evangelium scripsisse, constat: nec, si ibi scripsisset, Latine scribere necessum habuisset, cum Græca etiam Lingua passim trita receptaque fuerit. Paulus quoque ad Romanos Epistolam Græcâ scripsit Linguâ, quia Judæi Romæ degentes, plerique Latini sermonis ignari longa per Asiam & Græciam habitatione Græcam Linguam didicerant, & Romanorum vix quisquam erat non Græcè intelligens. Veterum quoque, si à Pseudo-Damascō in *Vita Petri* discefferis, nemo Latine scriptum hoc Evangelium asseruit. Latine quidem ipsum prædicasse Gregorius Nazianzenus *carm. de 4. Evangelistis*, innuit: at Latine scripsisse, non item Græcè verò scripsisse, Hieronymus *Epist. 123.* & Augustinus *de consensu Evang. lib. I. cap. 2.* clarè affirmant. Arguit id ipsum etiam Dei providentia, quæ pro editione Græca, non Latina, cujus authenticæ nulla vestigia sunt, vigilavit. Supinæ quinetiam negligentia Ecclesia Romana se alligavit, si Evangelii, quod in gratiam ejus olim scriptum pertendunt, ceu depositi sui, tam negligentem custodem se gessit, ut versione ex Græco textu, qui originalis non esset, jam olim uti necessum habuerit, & hodièque utatur. Quòd verò idem, qui supra, Possævino mussitat, & apertè Baronius profitetur, traditione antiqua comprobari, quòd Marcus Evan-

Evang. S. Marci. gelium suum, quod Romæ Latinè scripserit, cum Aquilegiæ moraretur, missus illuc à Petro ad erigendam illam Ecclesiam, in Græcum translulerit; quòdque Latinum originale diutiùs asservandum, Venetias demum translatum fuerit: (ubi in Marcianis thesauris asservari, Widmenstadius tradidit) logi potiùs quàm res sunt. Si tamen ita res haberet, Græcum etiam Marci Evangelium authenticum esse, (quod nobis sufficeret,) vel inde constare posset.

Tempus scriptio- nis. VII. Temporis, quo Evangelium conscripsit, intricatam etiam satis rationem reperio. Eusebius *Histor. Eccles. lib. II. 15. 16.* Papiæ & Clementis testimoniis fretus, Marcum unâ cum Petro Romam venisse, ibidémque Romanorum rogatu Evangelium scripsisse, refert. Petrum autem Romam venisse anno secundo Claudii Augusti, idem Eusebius in Chronico scribit, Baronio & Petavio consentientibus, at refragante Doctiss. Valesio *Annal. in Euseb. pag. 33.* ubi ex Actibus Apostolorum, Petrum in Judæa ac Syria semper mansisse usque ad ultimum annum Agrippæ Regis, qui quartus erat Claudii, comprobat. Author verò Chronici Alexandrini Petrum non ante annum septimum Claudii Romam venisse innuit. Neque desunt, qui iter illud Romanum Petri, nec non Acta & certamina Romana prorsus in dubium revocent, ea inprimis ratione moti, quòd Lucas, qui minora longè descripsit, rem momenti magni satis futuram, si vera esset, nuspiam prodidit. Irenæus verò apud Eusebium *Histor. Eccles. lib. V. 8.* Marcum Evangelium scripsisse *μετὰ τὴν τῶν ἑξῶν, post illorum (Pauli & Petri) obitum* asseruit. Quem locum temerè Christophorus interpolavit, & pro vulgari lectione, quam omnium Codicum consensus, & Rufini autoritas, vetusque Irenæi interpret confirmant, hanc substituit, *μετὰ δὲ τῶν τὴν ἑκδοσιν, post hujus (Evangelii Matthæi) editionem.* Timuit nempe, ne hæc Irenæi ratio parùm consentiret cum illis, quæ supra Eusebius ex Papiæ & Clemente retulit. *Sed quid mirum, ita Doctiss. Valesius*

Valesius Annot. pag. 94. scitè arguit, si hac in re antiqui Patres inter se dissentiunt, cum de sacrorum Evangeliorum scriptione nihil ferè certi habeamus, nisi quatuor tantum esse, & à quatuor authoribus scripta. Quo autem tempore, & quam ob causam scripta sint, &c. parùm constat.

VIII. Partes Evangelii hujus quinque itidem sunt. Primò enim narratur historia ministerii Johannis, cap. I. 1--9. Secundò Christi præparatio ad obeundum munus, cap. I. 9-14. Tertio ejusdem actiones, doctrina & miracula, cap. I. 14--XIV. Quarto ejus passiones, cap. XIV. XV. Quintò denique gloria, ejus tum resurrectionis, tum ascensionis in Cœlum, cap. XVI.

I. *Historia ministerii Johannis.* Cap. I. 1--9. I. Johannes à Prophetis præsignatus, & baptizavit in deserto, & singulari habitu singulare munus demonstrans, Christum venientem & spiritu baptizantem designavit. cap. I. 1--9. Historia Johannis. Cap. I.

II. *Christi præparatio ad obeundum munus.* Cap. I. 9--14. II. Christus ex Galilæa progressus ad Jordanem, à Johanne baptizatus, cœlesti voce consecratus, in deserto à Sathana tentatur, Angelis ei ministrantibus. cap. I. 9--14. Christi præparatio. Cap. I.

III. *Christi actiones, doctrina & miracula.* Cap. I. 14--XIV. III. Etenim 1. Christus mortuo Johanne in Galilæa prædicat, discipulos asciscit, (23.) Capernaumi docens, dæmoniacum, socrum Petri, aliòsque restituit, (34.) in deserto precatuò quæritur, & pulsus dæmonis leprosum sanitati restituit. (45.) cap. I.

2. Paralyticum peccatis simul & morbis exsolvit, (13.) Matthæo ex telonio avvocato, & criminantibus Pharisæis, quòd cum publicanis necessitudinem habeat, adventus sui causam indicat, (17.) simulatam jejunii religionem corrigit, (22.) & discipulos violati Sabbathi insimulatos, Davidis exemplo defendit. (28.) cap. 2.

3. Aridam manum habentem Sabbatho restituit, (5.) atque ob id conspirantium contra se Pharisæorum & Herodianorum manibus elapsus, turba multa eum sequente, plures morbis & dæmonis liberat, (12.) duodecim sibi discipulos constituit, (21.) Pharisæis blasphemantibus, quòd Beelzebubis ope dæmonia peccat, respondet, (30.) & quinam fratres sui sint, indicat. (35.) c. 3.

4. Verbi Divini virtutem, & qua pietate illud audiendum sit, parabolis de satore & semine compositis, declarat, (20.) lucem sub modio non occultandam, (23.) men-

4. *Evang.*
S. Mar-
ci.
5. 5. Legionem dæmonum in Gedarenorum regione è dæmoniaco expellit, (20.) profluvio sanguinis nultum vexatam mulierem vestimentum ejus contingentem sanat, (34.) & jairi filiam mortuam vitæ restitit. (43.) *cap. 4.*
6. 6. A suis in patria despiciatui habitus, (6.) discipulos ad prædicandum ablegat, (12.) & interjectâ historiâ martyrii Johannis, (31.) quinque panibus plura milliâ cibans, (44.) discipulos navigio præmissos, aquis inanbulans sequitur, tempestatem sedat, (52.) & in regione Genesareth ægros plures vestimenti sui tactu sana, *cap. 6.*
7. 7. Hypocritas in externis religiosos corripens veram sanctimoniam edocet, (23.) Syrophœnissæ filiam dæmonio liberat, (30.) & surdo mutoque miraculosè liberato, miris à populo laudibus fertur. (37.) *cap. 7.*
8. 8. Septem panibus quatuor millia virorum saturans, (13.) Pharissæis signum petentibus illud negat, fermentum eorum detegit, (21.) cæco visum restituit, (26.) Apostolis ipsum præclare confitentibus passiones suas prædicat, (33.) sui que sequelam commendat. (38.) *cap. 8.*
9. 9. In monte coram discipulis transfiguratus prædictum Eli explicat, (13.) Spiritum mutum, quem discipuli compescere nequiverant, expellit, (29.) mortem suam denuo præfagit, (32.) humilitatem discipulis commendat, (42.) & scandala cavenda edocet. (50.) *cap. 9.*
10. 10. Matrimonii leges describens, divortiorum licentiam refellit, (12.) infantibus benedicit, (16.) adolescentem divitem, & operum fiduciâ tumidum tentat, & divitiarum periculum depingit, (27.) mercedem discipulos eum relictis omnibus sequentes manentem exponit, (31.) passiones suas denuo prædicat, (34.) Zebedæi filios ad primatum aspirantes humilitatem docet, (45.) & Bartimæo visum restituit. (52.) *cap. 10.*
11. 11. Hierosolymas, pullo asinæ vectus, ingressus (11.) ficum fructu carentem execratur, (14.) quæstum captantes ex Templo profligat, (19.) fidei efficaciam explicat, (26.) & Pharissæos de autoritate ejus requirentes, alia quæstione eludit. (33.) *cap. 11.*
12. 12. Parabolâ vineæ & agricolarum Judæorum ingratitude pulsat, (12.) quæstionem de tributo expedit, (17.) Sadducæos de resurrectione convincit, (27.) Scribam de præcipuo legis mandato informat, (34.) cujus ipse filius sit, edocet, (37.) Scribas vitari jubet, (40.) & quo animo eleemosynæ pendendæ sint, commonstrat. (44.) *cap. 12.*
13. 13. Horrendum Hierosolymæ excidium quale futurum, & cujusmodi signa illud præcessura sint, exponit, (23.) de extremo judicio, & signis illud præcedentibus differit,

ferit, (32.) & vigilantiam serio omnibus commendat, *Evang.*
(37.) cap. 13. *S. Mar-*

IV. *Christi passiones.* Cap. XIV. XV. *Christus*
nempe

1. Sacerdotibus adversus ipsum conspirantibus, (2.) à de- *Christi*
vota muliere ungitur, (11.) Pascha, eique succenturia- *passio-*
tam Cœnam Domini celebrat, (31.) in monte oliva- *nes.*
rum angoribus animi summis cruciatur, & hinc capti- *Cap. 14.*
vus abducitur, (52.) à Judæis condemnatur, & illuditur,
(65.) Petro mox eum abnegante & resipiente. (72.)
cap. 14.

2. Pilato traditus condemnatur, (19.) crucifigitur, (32.) *15.*
prodigiis mortem ejus comitantibus, (41.) & sepelitur.
(47.) *cap. 15.*

V. *Gloria resurrectionis & ascensionis ejus in Cœlum.* *V.*
Cap. XVI. *Christi*
gloria.

Christus ex mortuis resuscitatur, indice juvenes ad dex-
tram monumenti confidentes piis mulieribus revelatur,
(8.) Mariæ Magdalenaë, (11.) duobus discipulis, (13.)
undecim Apostolis, ad prædicandum Evangelium
ablegatis apparet, (18.) & in Cœlum ascendit. (20.)
cap. 16.

TABULA SYNOPTICA
S. MARCI.

Partes.

I. Historia ministerii Johannis, cap. I: 1--9.

II. Christi præparatio ad obeundum munus,
cap. I: 9--14.

III. Actiones Christi, doctrina & miracula,
cap. I. 14--XIV. ubi sunt

1. *Christi præconium in Galilæa, demoniacus &*
leprosus sanati, c. 1: 14--f.

2. *Paralyticus sanatus, vocatio Matthæi, c. 2.*

3. *Aridam manum habens, plures, demoniaci etiam,*
liberati, Apostolorum ordinatio, blasphemia in
Spiritum S. c. 3.

4. *Parabola satoris, seminis, grani sinapi, objur-*
gatio maris, c. 4.

5. *Demoniacus, Jairus, Hemorrhosa, c. 5.*

6. *Ejus in patria contemptus, missio discipulorum,*
Johannis martyrium, miraculum 5. panum, am-
bulatio super mare, c. 6.

7. *Traditiones Phariseorum, filia Syrophenissa,*
surdus, mutus, c. 7.

*Evang.
S. Mar-
ci.*

8. Septem panes, signum petentes, fermentum pharisaicum, cecus curatus, opiniones de Christo, passionnes prædictæ, sequela Christi, c. 8.
 9. Transfiguratio in monte, lunaticus, passionnes prædictæ, primatus Apostolorum, c. 9.
 10. Divortium, infantum benedictio, dives adolescens, passionnes prædictæ, filii Zebedæi, Bartimeus, c. 10.
 11. Ingressus Hierosolymæ, maledictio ficus, numularii pulsæ, questio de baptismo Johannis, c. 11.
 12. Parabola vineæ & agricolarum, Sadducæi convicti, mandatum præcipuum, Hypocrite, vidua paupercula, c. 12.
 13. Hierosolymæ excidium, & mundi finis, c. 13.
- IV. Passiones Christi, cap. XIV. XV. ubi
1. Conspiratio Sacerdotum, Pascha, Cæna Domini, angores in monte oliveti, captivitas, condemnatio Judæorum, abnegatio Petri, c. 14.
 2. Traditio in manus Pilati, crucifixio, mors, sepultura, c. 15.
- V. Gloria resurrectionis & ascensionis Christi in Cælum, c. 16.

Interpretes S. Marci.

S. PATRES. Hieronymus, Zacharias Chrysoptolitanus.

REFORMATI. Danæus, Junius, Myconius.

Angl. Petrejus, Petterus, Morus.

AUGUSTANI. Hegendorfius, Lambertus.

PONTIFICII. Fuente, Gerson, Hofmeisterus, Paz, Peltanus, Suarez, Soccolovius, Cajetanus, Jansenius, Maldomatus, Baradius, Servius.

Addantur Interpretes Librorum N. T. cap. 1. nec nom quatuor Evangelistarum. cap. 2. Lit. A.

CAPUT IV.

DE

Evangelio S. Lucæ.

BREVIARIUM.

Inscriptio libri. Non est à Luca, sed Ecclesiastica. I. Lucas Lucilius. Descriptio Lucæ ex Hieronymo,

mo, Dorotheo, Theophylacto, Sophronio, Co-
 dice Arabico Kirstenii. 2. Ex diversis eorum ^{Evang.}
 relationibus verosimiliora eruuntur. Fuit Evan- ^{S. Lucæ.}
 gelista, Pauli comes, Medicus. Cetera suspecta,
 imprimis quòd pictorem Nicephorus, Theodorus
 Lector, & Metaphrastes faciunt. De morte ejus
 diversa veteres tradidère. 3. Occasio scriptionis
 ex Luc. I. 1. 2. 3. exponitur. 4. Inscritur Theo-
 philo præstantissimo, ut idoneo scilicet ob pieta-
 tem, ad custodiam autographi & exemplarium
 propagationem. 5. Argumentum Libri. 6.
 Dictionis genus quale? 7. Tempus scriptionis.
 Ante Matthæum scripsisse Beza & Gomaro vi-
 detur, quorum rationes ad incudem revocatæ. 8.
 Partes Libri quinque sunt. I. Johannis Præ-
 cursoris Christi nativitas. (cap. 1.) II. Christi
 nativitas & infantia. (cap. 2.) III. Christi
 actiones, doctrina & miracula. (cap. 3--22.)
 IV. Ejusdem Passiones. (cap. 22. 23.) V. Eju-
 dem gloria resurrectionis & ascensionis in Cœ-
 lum. (cap. 24.) Interpretes Veteres, Reformati,
 Augustani, Pontificii, nec non Tabula Synoptica
 Libri. 9.

INScriptio Libri, juxta Henrici Stephani An. Inscrit-
 1576. editionem accuratam hæc est: τὸ κατὰ ^{ptio.}
 Λυκᾶν Εὐαγγέλιον, secundum Lucam Evangelium.
 Variant tamen exemplaria Græca ad MS. Codices
 expressa, atque etiam impressa. Nam articulus τὸ
 in Hagenoënsi, Basileensi, Roberti Stephani &
 Plantini editionibus omittitur. In editione illustri
 Complutensi aliisque additur ἅγιον. Sic enim in
 ea titulus habet: τὸ κατὰ Λυκᾶν ἅγιον Εὐαγγέλιον.
 Secundum Lucam sanctum Evangelium. Diversus
 etiam in editione Syriaca extat titulus ejusmodi:
 אונגליא קדישא סבתא דלוקוס מפברנא ^{Evange-}
 lium sanctum, præconium Luca Evangelistæ, quod lo-
 cutus est & annuntiavit Græcè in Alexandria magna.
 Aliter etiam Arabs, & Persa. Ex qua verierate
 tituli,

Evang. S. Marci. tituli, ab ipso opere secreti, satis constat, non ab ipso Evangelista, sed procedente tempore ab Ecclesia titulos ejusmodi libris præfixos esse.

Lucæ
ortus &
tradi-
tiones
vete-
rum.

II. Lucam Romanum nomen esse, ex nomine & *Lucilius* contractum, sentit Hugo Grotius. Alii verò aliunde derivant. Ejus descriptionem his verbis Hieronymus *Catal. Script. Eccl. Ss. 17.* prosequitur: *Lucas Medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, Græci sermonis non ignarus, sectator fuit Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus comes, scripsit Evangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: & ad Coloss. Salutatur vos Lucas medicus: & ad Timotheum: Lucas est mecum solus.* Dorotheus quoque Martyr, Tyri Episcopus, in Synopsi, vitam Lucæ Græcè descripsit, quam Robertus Stephanus in Præfat. Lucæ exhibet. Summa est, Lucam Antiochensem fuisse genere, medicum, arte: conscripsisse Evangelium procuratione Petri, Acta procuratione Pauli. Cum Apostolis enim, & maximè cum Paulo peregrinatum esse. Mortuum esse Ephesi, ibidemque sepultum. Sed Theophylactus Præfat. in Evangelium hoc vitam ejus succinctè describit, iis, quæ ex Hieronymo & Dorotheo citavimus, addens, fuisse illum τὴν ἕξω σοφίαν πολλὴν, in externa philosophia magnum, Hierosolymis quoque Hebræorum disciplinis imbutum, factumque unum ex 70. discipulis, Christo, cum resurrexisset, cum Cleopa occurrisse. Addit Sophronius, Pauli Apostoli apertè fuisse studiosum, adeò ut à Johanne tanquam author hujus libri increpitus, confessus fuerit, φίλτρον κατεχόμενον Πάυλε piltro Pauli correptum se Evangelium scripsisse. Atque inde esse, quòd Paulus in Epistolis suis subinde ad Evangelium suum provocet, intelligens scilicet hoc ipsum Lucæ, ejus autoritate conscriptum. Quasi scilicet Lucas non ἀνωθεν de super, παραηκολούθηκώς ἀκριβῶς, assecutus exquisitè oracula, Luc. 1. 3. scripserit. Denique antiquissimus Codex Arabicus à Kirstenio editus eum circumscribit, quòd fuerit Evangelista & medicus; quòd

Antiochiæ medicinam fecerit: quòd primùm ^{Evang.} Petrus, & mox Paulus conversus ejus magistri ^{S. Lucae.} extiterint: quòd denique Romæ martyrio vitam finiverit. At in Græcia de olea fuspendum ipsum martyrium passum esse, Eusebius: in Bithynia occisum, Hieronymus memorârunt.

III. Ex variis pugnantibusque hisce veterum ^{Certio-} traditionibus id solum pro certo affirmare habe- ^{ra eru-} mus, ipsum Evangelistam & *συγγενὸν* Pauli fuisse: quod 2. Tim. IV. 11. Philem. 23. 24. dicitur: tum etiam *ιατρός* medicum fuisse, quod Coloss. IV. 14. asseritur. Nam quòd alium ibi Lucam indigetari, doctissimus Interpres, ea ratione fretus, quòd *Lucas* notior fuerit, quàm ut opus esset tali indicio, quòdque elogio splendidiore fuerit insignitus, puta coadjutoris, vel *fratris* comitis; arguit, meritò Cl. Gomarus *Sel. Lucae* refellit. Medicum certè vocavit Paulus liberè, non importunè: non quòd ita opus esset, sed quòd id ad gratiæ Dei commendationem faceret. Sicut nempe Matthæus cap. IX. 9. se ad misericordiæ Dei professionem *publicanum*: sic Paulus Lucam ex Medico corporis, à Deo in medicum animæ vocatum, non minùs commodè & ad Dei laudem *medicum* insignit. Sed & elogium latis insigne additum est in voce *ἀγαπητός* dilectus. Quomodo etiam inter Apostolos Johannes insignitus est. Denique sicut Philem. v. 24. (ubi Lucam nostrum intelligi, certum) Lucae Demas conjungitur: ita eidem Demas Coloss. IV. 14. jungitur, ut, unum eundemque Lucam intelligi, dubitari nequeat. Sed & illud constare videtur, 2. Cor. VIII. 18. per fratrem illum, *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*; Lucam etiam intelligi, non Barnabam, uti Chrysofostomus & Theodoretus arbitrantur, quod pluribus argumentis idem, qui supra, Cl. Gomarus, confirmat: & jam olim Ignatius in Epistola ad Ephesios asseruit. Sed & Antiochiæ in Syria natum, constanti veterum traditioni credimus. Cetera, quæ de Luca narrantur, utpote incertæ diversæque traditioni innixa, in medio relinquitur. Suspectum imprimis illud, quòd Bellarminus

Evang. de imag. cap. 10. ex Theodoro Lectore, Nicephoro S. Luca. & Metaphrasæ veritati dare conatur, fuisse Lucam pictorem, & B. Virginis imaginem coloribus expressisse, quam Romæ haberi, Thomas affirmat. Credat novellæ huic revelationi, qui voluerit, postquam integro sexcentorum annorum decursu ea de re altum in Ecclesia silentium fuit. Denique de morte ejus judicio Doctiff. Blondelli de Episc. pag. 105. subscribimus, incertum esse, ubi & quomodo illam oppetierit. Ephesi mortuum, ita ille, ac sepultum perperam Eusebius scribit, cùm martyrologia & Isidorus, qui plerosque profelythum fuisse, & Hebræas literas ignorasse tradere, refert, in Bithyniâ obiisse: Nicephorus Thebis Achaicis: Gaudentius sermone de dedicatione Ecclesiæ, apud Patras Achajæ consummatum: Hieronymus A. Constantii 20. (Christi 357. Mart. 3.) ad Constantinopolin ossa ejus cum Andreæ reliquiis de Achaja translata testatur.

Occasio. IV. Occasionem, quam habuerit Lucas scribendi Evangelii, ipsemet initiò pandit his verbis: *Επειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς ἀυτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοί τῃ λόγῳ. ἔδοξε καί μοι, παρηκολυθηκότι ἀνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι, &c.* Quoniam multi aggressi sunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta est, prout tradiderunt nobis, qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt rei. Visum est etiam mihi penitus assecuto desuper omnia exquisitè ordine tibi scribere. Occasionem igitur scribendi ipsi dederunt authores multi, non aduersarii equidem veritatis, qui malitia ac veritatis odio, ut hæreses suas stabilirent, sub Apostolorum suorum nominibus Evangelia supposuerint, uti nonnulli censent, cùm Lucas malitiosam ejusmodi noxiàmque fraudem leviter perstricturus non fuerit: neque etiam, uti Beza, Gomarus, aliique censent, imprudentes veritatis fautores, qui præmaturè & imperito veritatis Evangelii propagandæ zelo moti, & Spiritus S. inspiratione destituti, incertas de Christo narrationes concinnârint & vulgârint:

gârint: sed scriptores Θεόπνευστοι, Matthæus, Mar-
cus, Paulus; qui de rebus certissimis narrationem
contexuerunt Divino Spiritu, & juxta traditionem
eorum, qui initiô spectatores & ministri rerum
fuerunt. Horum exemplum secutus Lucas sibi
etiam scripto consignanda putavit ea, quæ Spiritus
Dei ei suggestit, ut ex plurium scilicet scripturis
εὐσφάλεια certitudo & securitas major fidelibus
affulgeret. A multis enim scribi eadem, Ecclesiæ
ad fidei confirmationem interest.

V. Inscritur Evangelium Θεοφιλω κρατίσω
Theophilo fortissimo, seu præstantissimo. Ubi non
quivis Christianus, *Dei amans*, uti veteribus non-
nullis placuit, sed certa Viri Dei amantis persona,
Vir optimus, dignitate pollens, ac magistratum
fortè etiam gerens indigetatur. Præsides certè
Romanos, veluti Felicem Act. XXIII. 26. XXIV. 3.
& Festum cap. XXVI. 25. κρατίστως appellari
mos erat. Quis verò & cujas fuerit, Romanus,
Antiochenus, an alius quispiam, incertum est, nec
scire refert. Ei tamen Evangelium suum, & post
etiam Acta Apostolorum Lucas inscripsit misit-
que, ut idoneo maximè ob pietatem, zelum &
dignitatem, tum ad custodiam autographi, tum
ad exemplarium ex eo propagationem sinceram
inter fideles.

VI. Libri utramque paginam facit historia
Christi, puta ejus conceptio singularis, nativitas,
dicta, facta, passiones & gloria. Copiosius, quàm
reliqui, conceptionem, nativitatem, miraculorum
occasiones, fructus & circumstantias exponit, &
historias etiam non paucas à cæteris omissas re-
censet. De cætero commune cum reliquis Evan-
gelistis argumentum habet.

VII. Græcè scripsisse Lucam, dubium nemini
est. Scriptionis ipsius genus florens, & historico
more dilucidum est, Syriacæ & Latinicæ vestigiis
subinde relictis. Demittit se ad popularem narra-
di consuetudinem, Matthæo & Marco politior
equidem, neque tamen ad Demosthenicam pom-
pam, Ethnicumque verborum splendorem assur-
gens.

Evang.
S. Luca.Inscri-
bitur
Theo-
philo.Argu-
men-
tum.

Idioma.

Evang. gens. Lucam Evangelistam, ita Hieronymus ad cap. S. Lucæ. 6. Esajæ scribit, tradunt veteres Ecclesiæ tractatores, medicæ artis fuisse scientissimum, & magis Græcas literas scivisse quàm Hebræas. Unde & sermo ejus tam in Evangelio, quàm in Actis, comptior est, & seculari redolet eloquentiam.

Tempus
scriptio-
nis.

VIII. De tempore scripti à Luca Evangelii non planè convenit. Scriptum esse anno 15. post ascensionem Domini; Theophylactus asserit. Codex Arabicus Kirstenii seriùs, nimirum anno decimo quarto Claudii, vicesimo secundo post ascensionem Christi in Cœlum exaratum pertendit. Neque defunt, qui demum anno 27. post ascensionem unâ cum Actis Evangelium scriptum esse contendunt. Utri tempus rectè definiant, certis rationibus decidi nequit. Plerique veterum Patrum Matthæum ante Marcum; & Marcum ante Lucam Evangelium scripsisse statuunt. Nihilominus Doctiss. Beza *Annot. maj. ad v. 1.* eumque secutus Gomarus *ad Luc. 1.* in contrariam his ferè argumentis sententiam inclinant, quòd Lucas ipse cap. 1. v. 1. profiteatur, eos, qui ante ipsum historiam Christi scripserunt, temerè scriptionem illam aggressos esse, ita ut *πληροφορίαν* ipsi scriptionis suæ habuerint nullam, ipsèque plenè omnia assecutus necesse habuerit historiam Christi *ἀκριβῶς*, exquisitè conscribere: quòd idem v. 2. dicat, se scripsisse, *καθὼς παρέδοσαν*, sicut tradiderunt nobis, qui à principio spectatores & ministri fuerunt rei; quæ traditio cum ad prædicationem, non scriptionem præcedentem referenda sit, inde colligi, quòd ante Lucam scribentem alii quidem prædicaverint, at scripserint nulli? quòd denique, si ante Lucam Matthæus & Marcus scripsissent, Theophilus, ad quem Lucas scripsit, opus habiturus non fuerit, ut eorum, à quibus de doctrina Evangelii fuerat eruditus *ἀσφάλειαν* certitudinem agnosceret, quam utique ex Evangeliiis Matthæi & Marci; si jam extitissent illa, haurire potuerit. Cæterum non ita firma argumenta illa videntur, ut ob ea antiquissima, & si ab uno Irenæo discefferis, consentiens veterum,

terum, qui Matthæum primum scripsisse statuunt, *Evang. S. Lucæ.*
 auctoritas deferri debeat. Neque enim Lucas verbo *εωσχεύεργαν* (quam vocem mediam esse, Philologi doctissimi, Casaubonus, Grotius, alii statuunt) infelicem præcedentium conatum notat, quasi destinata non perfecissent, sed potius eos, qui hoc genus studii præoccupârunt, laudat, iisque se associat. Idcirco v. 3. dicit: *Ἐδοξε καὶ μοι, visum est etiam mihi.* Quasi diceret, sibi visum esse aggredi id ipsum, quod præcedentes ipsum aggressi sunt. Tum *συντάξασθαι λόγον* non est *ἀτελής τε ἰμπερφέτῳ* quid concinnare. Sed & præcedentes dicuntur narrationem instituisse de rebus *πεπληροφορημένοις*, quorum plena iis fides facta est: adeoque non incertis, dubiis: ut ita Lucas & eam narrationem confirmet, & narrantibus testimonium *πληροφορίας* tribuat. Illa quoque *παράδοσις* traditio, cuius v. 2. mentio est, non tam *λόγος sermonis* prædicati, quam *ἐπιστολῆς Epistola* & calami est, (2. Thessal. II. 15.) referturque non tam ad *τὰ πεπληροφορημένα*, quam ad *διήγησιν narrationem* scriptam. Denique scopus scriptionis Lucæ erat, ut Theophilus cognoscat certitudinem de iis sermonibus, quibus *κατηχήθη institutus erat.* Id ipsum ergo, quod jam edoctus erat Theophilus præcedente scilicet *διήγησιν* narratione scripta, denuo in gratiam Theophili, omniumque fidelium describere, majorémque sic *ἀσφάλειαν certitudinem* gignere voluit. Post Matthæum igitur & Marcum omnino scripsit. Quo verò præcisè anno scripserit, in obscuro est.

IX. Partes libri hujus quinque etiam constitui possunt. Narrantur enim in eo *primò* Johannis Præcursoris Christi nativitas, cap. I. *Secundò* Christi nativitas & infantia, cap. II. *Tertio* Christi actiones, doctrina & miracula, cap. III.-XXII. *Quartò* ejus Passiones, cap. XXII. XXIII. *Quintò* gloria resurrectionis & ascensionis in Cœlum, cap. XXIV. *Distributio.*

I. *Johannis Præcursoris Christi nativitas.* Cap. I. *Partes. I. Johannis nativitas.*
 Narratur conceptio Johannis, parentibus laudatis, & promissio.

Evang.
S. Lucæ.
Cap. I.

missione patri incredulo facta, nec non incredulitatis poenâ præmissâ. (25.) Hinc Maria, accepta ab Angelo Christi ex se nascituri promissione, (38.) ad Elizabetham profecta, Deum celebrat, (56.) & Johanne nato, Zacharias in Dei laudes erumpit, & filii præursoris, officium prædicat. (80.) cap. I.

II.
Christi
ortus.
2.

II. *Christi nativitas & infantia*, Cap. II.

Christus, parentibus Bethlehemum, ut censerentur, profectis, ibidem in præsepi nascitur, (7.) & Angelorum hominumque testimoniis comprobatus, (20) circumciditur, (21.) Hierosolymæ ceu primogenitum sistitur, (24.) à Simone iusto in Templum adductus, unis ambitur, unâ cum parentibus benedicitur, (35.) ab Anna celebratur, (38) Nazarethum redux proficit, (40.) & Hierosolymæ amissus à parentibus, in Templo puer adhuc docet, (51.) multumque proficit. (52.) cap. 2.

III.
Actio-
nes.
3.

III. *Actiones Christi, doctrina & miracula*. Cap. III-XXII. *Christus nempe*

1. A Johanne prædicationem ordiente, refractarios increpante, & apud Jordanem baptizante, (18.) ipse quoque baptizatur solemniter. (21.) cujus, tricesimum annum implentis, genealogia textitur. (38.) cap. 3.
2. Negotium salutis aggressurus primum à Diabolo tentatur, (13.) & in Galilæam profectus, Nazarethum perveniens, docet cum admiratione omnium, (22.) populariumque suorum corripuens ingratitude, omnium in se animos accendit, sed elapsus (30.) Capernaum venit, ibidemque dæmoniacum, (37.) & focrum Petri febricitantem sanat. (44.) cap. 4.
3. Petrum & filios Zebedæi miraculo immensæ multitudinis piscium captæ attonitos ad se vocat, (11.) lepram sanat, (16.) Paralytico medetur, sibi que eximiam esse potestatem remittendi peccata ostendit, (26.) Matthæum vocat, (32.) & Phariseos peccatorum commercia fugientes, & crebris jejuniis superbos redarguit. (39.) cap. 5.
4. Discipulos spicas Sabbatho vellentes adversus Phariseos defendit, (5.) aridam manum restituit, (11.) Apostolos duodecim eligit, (16.) & multis sanatis, de beatitudinibus, (26.) diligendis inimicis, (35.) misericordia, cavendis judiciis temerariis, verbo Dei cum fructu simul audiendo & faciendo concionatur. (49.) cap. 6.
5. Centurionis famulum jam animam agentem sanat, (10.) viduæ filium ex morte resuscitat, (17.) Johanni apud discipulos ejus ad se missos clarè attestatur, (29.) Phariseorum aliorumque incurabilem impietatem corripit, (35.) & in Pharisei Simonis domo mulieri peccata sua desenti, multumque Christum diligenti, illa condonat, nequicquam ringentibus æmulis. (50.) cap. 7.
6. Multis ad eum confluentibus narrat parabolam factoris, (15.) & lucis, (18.) quæ mater, qui fratres sui sint,

- edocet, (21.) hinc mare trajiciens tempestatem sedat, *Evang.*
 (25.) dæmoniaco in Gadarenorum terra medetur, (39.) *S. Lucae.*
 sanguinis profluvium sistit, (48.) & Jairi filiam à mor-
 tus revocat. (56.) *cap. 8.*
7. Apostolos præconiatum ablegat, (9.) quinque panibus *Cap. 9.*
 aliquot millia cibant, (7.) Petro ipsum confitentem de cruce
 & sequela sui concionatur, (26.) coram discipulis se
 transfiguratur, (36.) obsessum liberat, (42.) passiones
 instantes repetit, humilitatem discipulos docet, (56.)
 & sequelam sui commendat. (62.) *cap. 9.*
8. Septuaginta discipulis ablegatis, (12.) ingratas urbibus *10.*
 impietatem exprobrat, (16.) discipulos reduces, qua re
 lætari debeant, edocet, (20.) Patrem suum celebrat,
 (24.) legisperitum de præcepto maximo, (28.) & para-
 bolâ vulnerati diligendo proximo informat, (37.) deni-
 que Martham sibi famulantem, Mariam se audientem
 de beatitudine instruit. (42.) *cap. 10.*
9. Orandi formulâ præscriptâ (13.) dæmonium ejicit, *11.*
 (14.) & criminantibus, quod operâ Beezebutis id per-
 ficiat, respondet, (26.) beatitudinem audientium ver-
 bum explicat, (28.) signum petentibus illud negat,
 (33.) animi sinceritatem commendat, (36.) & à Phari-
 sæo invitatus externam illorum sanctimoniam & im-
 purum animum corripit. (54.) *cap. 11.*
10. Fermento Phariseorum abstinendum monet, (12.) *12.*
 avaritiam exemplis & parabolis vetat, (30.) & Regni
 Dei quæstum suadet, (34.) parabolâ servi frugi & ne-
 quam vigilantiam commendat, (48.) & turbas ob Evan-
 gelium oborituras prædicit. (39.) *cap. 12.*
11. Exemplo illorum, quos Pilatus occiderat, & qui turre *13.*
 obruti fuerant, (5.) nec non similitudine ficus peniten-
 tiam suadet, (10.) mulieri contractæ Sabbatho mede-
 tur, (17.) Regnum Dei similitudinibus adumbrat, (21.)
 salutis consequendæ Zelum commendat, (30.) Hero-
 dem vulpinantem perstringit, (35.) & Hierosolymas
 ob impietatem iudicium denuntiat. (35.) *cap. 13.*
12. Hydropicum Sabbatho sanat, (6.) ambitionem Phari- *14.*
 sæorum, primi accubitus gloriam captantium, notat,
 (16.) parabolâ invitatorum ad nuptias impedimenta
 salutis ostendit, (34.) & à sectatoribus suis sui supra
 omnes alios amorem, & bonorum suorum renuntiatio-
 nem, nec non parabolâ Regis bello impetendi diligen-
 tiam omnium præmeditationem suadet. (35.) *cap. 14.*
13. Dei erga peccatores penitentes misericordiam *15.*
 parabolis ovis deperditæ, (7.) amissæ drachinæ, (10.)
 & filii prodigi, (32.) adumbrat. *cap. 15.*
14. Parabolâ iniqui dispensatoris divitiarum usum, & fidem *16.*
 administrationis docet, (13) avaritiam & adulterium
 prohibet, (18) & divitis ac Lazari parabolâ diverium
 utrorumque exitum figurat. (31.) *cap. 16.*
15. Offendicula prohibens, (4.) fidei virtutem prædicat, *17.*
 (6.) meritorum nostrorum meritiam docet, (10.) de-

Evang.
S. Lucæ.
Cap. 18.

- cem leprosos mundat, (19.) & qualis futurus sit filii hominis adventus, demonstrat. (57.) *cap. 17.*
16. Assiduitatem precum iudicis & viduæ parabolâ commendans, (8.) nimiani operum fiduciam Pharisei & publicani exemplo corripit, (14.) pueris manus imponit, (17.) juvenem iustitiæ suæ typho inflatum, omnibus venditis se sequi jubet, (22.) quo reluctante divitiarum periculum exponit, (27.) præmia sectatorum suorum recenset, (30.) passiones suas prædicit, (34.) & cæco opem imploranti visum restituit. (43.) *cap. 18.*
19. 17. Zachæo ad se converso, (10.) talentorum parabolâ spiritualem quæstum commendat, (27.) a fello vectus Hierosolymam petens, à turba pro Rege excipitur, (38.) urbis ruinam imminentem deflet, (44.) & vendentes Templo exturbat. (48.) *cap. 19.*
20. 18. De authoritate sua interrogatus quæstionem eludit, (8.) parabola vineæ & colonorum Sacerdotum impietatem pulsat, (19.) tributum Cæsari reddendum esse docet, (26.) contra Sadducæos resurrectionem mortuorum demonstrat, (40.) Phariseos in quæstione, cuius filius Messias sit, vincit, (44.) & à scribis cavendum esse, monet. (47.) *cap. 20.*
21. 19. Viduæ denarium divitum elemosynis præferens, (4.) Templi & urbis Hierosolymæ vastationem, (24.) nec non consummationis Seculi signa, prædicit, (33.) & ad vigilantiam ac sobrietatem omnes adhortatur. (38.) *cap. 21.*

IV. *Passiones Christi.* Cap. XXII. XXIII. Christus nempè

22. 1. Pascha celebrare instituens à Jndâ venditur, (6.) mox Pascha celebrat, eique Cœnam mysticam surrogat, (22.) discipulos de primatu contententes sedat, (30.) Petrum adversus casum intercessione sua præmunit, (34.) instantes angustias prædicit, (38.) in hortum egressus, multumque orans capitur, (53.) Petro ipsum abductum comitante & abnegante, (62.) & diu illusus, objectis falsis criminibus à Judæis, damnatur. (71.) *cap. 22.*
23. 2. Pilato traditur, qui eundem ad Herodem missum denuo recipit, populo adnitente damnat, (25.) & abductum, Simone Cyrenensè crucem gestante, crucifigi jubet, (32.) qui proin cruci affixus, latronem alterum convertit, (43.) & sextâ horâ eclipsi usque ad nonam ingruente, expirat, (50.) & à Josepho sepelitur. (56.) *cap. 23.*

V. *Gloria resurrectionis & ascensionis Christi in Cælum.* Cap. XXIV.

24. Mulieres Christum quærentes, eundem resuscitatum ex Angelis audiunt, (12.) Christus quoque resuscitatus duobus discipulis Emmauntem contententibus sese revelat, (35.) post etiam discipulis apparet, & cum iisdem familiariter conversatur, Scripturas iis explicat, (49.)

(49.) & Bethaniæ iisdem benedicens in Cœlum *Evang.*
ascendit. (53.) cap. 24. *S. Lucæ.*

TABULA SYNOPTICA S. LUCÆ.

Partes.

- I. Johannis præcursoris Christi nativitas, cap. I.
- II. Christi nativitas & in fantia, cap. II.
- III. Actiones Christi, doctrina & miracula, cap. III--XXII. ubi Christus
 1. A Johanne docente baptizatur, ejusque Genealogia texitur, c. 3.
 2. Tentatus à Sathana Nazarethi docet, demoniacum & socrum Petri curat, c. 4.
 3. Petrum convertit, leprosum, paralyticum sanat, Matthæum vocat, de jejunio disceptat, c. 5.
 4. Discipulos Sabbatho spicas vellentes fuetur, aridam curat, Apostolos legit, beatos prædicat, judicium temerarium vetat, &c. c. 6.
 5. Centurionis servum sanat, vidua filium resuscitat, Jobanni attestatur, Phariseos reprehendit, mulieri diligenti peccata remittit, c. 7.
 6. Parabolam satoris narrat, matrem, fratres suos ostendit, tempestatem sedat, demoniaco, hæmorrhousæ medetur, Jairi filiam resuscitat, c. 8.
 7. Apostolos ablegat, quinque panibus cibatur, Petro confitenti sequelam sui commendat, se transfiguratur, passionem prædicat, &c. c. 9.
 8. Discipulos 70. mittit, ingratas urbes reprehendit, præceptum maximum, dilectionem inimici docet, Mariam commendat, c. 10.
 9. Orare docet, demonium ejicit, signum negat, Phariseorum hypocrisim damnat, c. 11.
 10. Fermentum Phariseorum, avaritiam dissuadet, vigilantiam commendat, turbas oborituras prædicat, c. 12.
 11. Pœnitentiam suadet, Regnum Dei figurat, ejus consequendi zelum commendat, judicium Hierosolymæ denuntiat, c. 13.
 12. Hydropticum Sabbatho sanat, primatus affectatores rejicit, impedimenta salutis ostendit, sui

*Evang.
S. Luca.*

amorem supra omnia requirit, premeditationem omnium suadet, c. 14.

13. *Dei gratiam erga pœnitentes parabolâ ovis, drachmæ, filii prodigi commendat, c. 15.*
 14. *Parabola iniqui dispensatoris divitiarum usum, & Lazari ac beluonis diversum piorum & impiorum exitum docet, c. 16.*
 15. *Scandala, offensas fratrum prohibet, leprosos sanat, filii hominis adventum describit, c. 17.*
 16. *Precum assiduitatem suadet, fiduciam in operibus damnat, juvenem ad vendenda sua invitans noxam divitiarum docet, c. 18.*
 17. *Zachæum convertit, talenta commendat, Hierosolymam ingreditur, c. 19.*
 18. *Quæstionem eludit, vineæ parabolam narrat, resurrectionem docet, c. 20.*
 19. *Viduæ denarium commendat, excidium Urbis & orbis predicat, c. 21.*
- IV. *Passiones Christi, cap. XXII. XXIII. ubi*
1. *Paschatis, cœnæ celebratio, Christi captivitas, illusio, damnatio, c. 22.*
 2. *Traditio in manus gentium, crucifixio, sepultura, c. 23.*
- V. *Gloria resurrectionis & ascensionis in Cœlum, cap. XXIV.*

Interpretes S. Luca.

S. PATRES. Ambrosius, Amphilocheus, Anselmus, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Bernardus Zacharias Chrysopolit.

REFORMATI. Gomarus, Myconius. *Angli, Morus.*

AUGUSTANI. Brentius, Finkius, Pelargus, Winkelmannus.

PONTIFICII. Benzonius, Bonaventura, Calderarius, Clarius, Corderius, Ecbertus, Ferus, Gerson, Hoffmeisterus, Justinianus, Lambertus, Langestein, Paz, Peltanus, Roffensis, Suarez, Soccolovius, Stella, Sylvestranus, Tolletus, Wicelius, Cajetanus, Jansenius, Servius, Baradius.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & quatuor Evangelistarum, cap. II. Lit. A.



CAPUT V.

DE

Evangelio S. Johannis.

BREVARIUM.

Inscriptio Libri. I. Personæ Johannis descriptio. Boanerges. ἐπισήδιος. Theologus. Columna Ecclesie. Historia ejus post ascensionem. Captivitas in Pathmos. Mortuus verè est, longævus, & si Eusebio aliisque fides, Ephesi. 2. Evangelii scriptor est. Ejus Divinitas adversus Alogianos asserta. 3. Occasio scribendi gemina panditur, una ex Eusebio, ex Irenæo altera. 4. Argumentum 5. Idioma Libri, & sermonis genus. Idiotismi S. Johannis. 6. Tempus scriptionis. 7. Partes Libri quinque sunt. I. Personæ & adventus Christi descriptio. (cap. I. 1--19.) II. Johannis Baptiste ministerium. (cap. I. 19--36.) III. Actiones Christi, doctrina & miracula. (cap. I. 37--13.) IV. Passiones Christi. (cap. 13--20.) V. Gloria resurrectionis. (cap. 20. 21.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustini, Pontificii, & Tabula Synoptica Libri. 8.

Inscribitur Liber τὸ κατὰ Ἰωάννην Ευαγγέλιον, *Inscri- Evangelium secundum Johannem. De quo idem ptio. quod de simili reliquorum Evangelistarum inscriptione judicandum. Indigetatur nempe historia Evangelica à Johanne scripta.*

II. Johannes Hebraicè Ἰωάννης & contractè Johannis quod κεχαρισμένος *gratiâ affectum*, præditum nis hi- notat, Alphæi filius, & Jacobi majoris ab Herode *storia.* occisi, Act. XII. 2. frater fuit, Matth. X. 2. Ante vocationem piscator fuit, sicut & frater, Matth. IV. 21. Vocatus ad Apostolatam ab effectu ministerii quasi tonantis & fulminantis, ipse & frater

Evang. Jacobus vocati sunt Βοανεργῆς, ὁ ἴσιν, ὑοὶ βροντῆς
 S. Joh. Boanerges, quod notat בנני ברני filios tonitru. Unde
 etiam veteribus passim Johannes βροντόφου &
 βροντόποις cluet. Christo præ cæteris dilectus,
 accumbebat ἐν κόλπῳ Ἰησοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, in
 sinu Jesu, (ex quo sacratissimo Divinam sapien-
 tiam suam hausit,) quem diligebat Jesus, Joh. XIII. 23.
 XX. 2. Amicus igitur Jesu fuit intimæ admissio-
 nis, quales Græci ἐπισηθίας in sinu accumbentes infi-
 gniant. Cui proin Jesus moriturus, ceu filio, ma-
 trem suam commendavit, Joh. XIX. 26. 27. Ob
 sublimitatem doctrinæ de Christo, λόγῳ sermone
 Dei Patris, etiam Θεολόγον Theologum nuncupatum
 esse, Apocalypseos inscriptio, de qua in loco uberi-
 rius dicendum, docet. Etiam inter σύλῆς columnas
 Ecclesiæ unâ cum Jacobo & Cepha à S. Paulo,
 Gal. II. 9. numeratur. A Domino & transfigura-
 tionis suæ, & miserabilis sui in monte olivarum
 agonis testis & spectator delectus est. A resurre-
 ctione Christi peculiariter unâ cum Petro didicit,
 verè resurrexisse illum à mortuis, Joh. XXI. 7. ut
 maximè idoneus & verissimus resurrectionis testis
 existeret. Post ascensionem Hierosolymis cum
 reliquis Apostolis commoratus, Act. I. 13. carceri
 inclusus simul cum Petro præclaram confessionem
 edidit, Act. IV. 19. inde ad Samaritanos missus
 cum Petro, eosdem confirmat, Act. VIII. 14. mox
 cum Jacobo & Cepha Paulo dextram fraternitatis
 porrigit, Gal. II. 9. Cœlibémne uti Hieronymo,
 Ambrosio, Epiphanio, aliisque visum, vitam du-
 xerit, an potius matrimonio innexus fuerit, quod
 ex I. Cor. IX. 5. alii colligunt, Bonaventura ipso
 pertendente, quòd in nuptiis Canæ Galileæ spon-
 sus fuerit, non disputamus. Prædicâsse illum
 Evangelium in Asia, Ephesi imprimis, Eusebius
 Hist. Eccles. lib. III. 1. aliique memorant. Hostium
 suorum calumniis apud Asiæ præsidem delatum,
 in vincula conjectum, Romam missum, ibidem à
 Cæsare Domitiano, causâ nondum excussâ, ad
 oleum fervens damnatum, ex eodem puriorem
 & vegetiorem exivisse, quàm intravit, ex Tertul-
 liano

iano Hieronymus adversus Jovinianum lib. I. te-*Evang.*
 statur. Inde in insulam Patmos, sive à Domitiano, *S. Joh.*
 uti Eusebius, sive à Nerone, uti Tertullianus,
 sive à Trajano, uti Theophylactus referunt, rele-
 gatum, Apocal. I. 9. ad metalla scilicet, uti notat
 Victorinus, damnatum, ac ex ea etiam liberatum
 diu in Asia superstitem vixisse, historia testatur.
 Mortem illum non gustaturum, donec iterum
 Dominus judicaturus veniat, falsò & ineptè qui-
 dam olim ex Joh. XXI. 22. collegerunt, atque inde
 etiam non tantùm fabulæ, quòd Johannes vivus
 sepulchrum subierit, ansam dederunt: sed & agyr-
 tam superioribus temporibus eò audaciæ prove-
 xerunt, ut se pro Johanne palam venditans, mori
 se non posse, rudi plebeculæ persuaderet, qui
 temeritatis suæ meritam pœnam, Tholosæ vivus
 combustus, luit. Non aliud Christus Joh. XXI.
 22. uti etiam Cyrillus *cap. 66.* docet, dicere in
 animo habuit, quàm curiosum nimis esse Petrum,
 in fata aliorum inquirentem; neque ad illum per-
 tinere vel scire, vel curare, quousque dilectos suos
 velit vivere Dominus, cùm tempora & oppor-
 tunitates eorum Pater in sua potestate posuerit.
 Obiit certè Johannes, si Eusebio *Hist. Eccl. lib. III. 1.*
 & *V. 23.* credimus, Ephesi, morte non violenta,
 anno post passionem Christi sexagesimo octavo,
 uti Hieronymus *Catal. Script. Eccles. & lib. I. adver-*
sus Jovin. habet, vel potiùs septuagesimo primo, uti
 Codex Arabicus Kirstenii notat; cùm, teste Irenæo,
lib. II. cap. 39. & lib. III. 2. usque ad tempora Trajani
 vitam produxisset, annùmque ætatis nonagesimum
 nonum, vel juxta Codicem eundem Arabicum,
 centesimum primum, relictis discipulis, Papiæ
 Hieropolitano, Polycarpo Smyrneni, & Ignatio
 Antiocheno Episcopis, implèssset.

III. Johannem hunc Evangelii hujus scripto- Author.
 rem esse, ipsemet clarè insinuat Joh. XXI. 20. 24.
Videt discipulum, quem Jesus diligebat, &c. Hic est
discipulus ille, qui de his testatur, & hæc scripsit. Cùm-
que is fuerit discipulus & Apostolus Christi, adeo-

Evang. que etiam ab ejus Spiritu in omnem veritatem de-
S. Joh. ductus, Joh. XVI. 13. quique Joh. XXI. 24. de
 se tanquam dilecto Christi discipulo in tertia per-
 sona loquens, dicere potuit: *Scimus ejus testimonium*
verum esse; cùmque, quæ scripsit, omnia, consona
 sint Prophetiis, & in iis vera ac cœlestis sapientia
 & prudentia cognoscatur, colligimus, impiè &
 ineptè circa A. C. 167. hæreticum Artemonem
 cum sui sectatoribus, qui *ἄλογος* ab Epiphania
her. 51. & *Alogiani* ab Augustino *de her. cap. 30.* vo-
 cantur, odio inflammatum doctrinæ de Jesu Chri-
 sto *λόγος* vero Deo, Evangelium Johannis, quasi
 à Cerintho scriptum, rejecisse. Quasi scilicet non
 ipse S. Johannes Cerinthi errores, quos Augustinus
de heres. cap. 8. recitat, omnium fortissimè proflig-
 averit. Ipse Julianus Imperator, infensissimus
 licèt Evangelii hujus hostis, utpote qui, Cyrillo
contra Julian. teste, adversus Evangelia tres libros
 conscripsit, ei authori acceptum retulit.

Occasio. IV. Occasionem scribendi geminam scriptores
 veteres tribuunt. *Priorem*, quòd ab antecedentibus
 Evangelistis tribus quædam scripta esse obscuriùs,
 & omiſſa esse potissimùm illa, quæ Christus ante
 traditionem Johannis prædicavit & gessit, quæque
 utiliter explicari & illustrari poterant, observans,
 necessum duxerit, defectus suppleri. Occasionem
 hanc fusè Eusebius *Hist. Eccles. lib. III. 24.* narrat.
 Quam tamen *satis tenuem esse, & parum ponderis*
habere, Ven. Bullingerus *Prefat. in Job.* monet.
Posteriorem, periculum contagionis errorum, de
 persona & Divinitate Christi, tum à Cerintho in-
 ductorum, Johannis tempore: tum astu Sathanæ
 præviso deinceps inducendorum. Eam occasio-
 nem scripti à S. Johanne Evangelii Irenæus *contra*
heres. lib. III. 12. allegat. Docebat autem Cerinthus,
 eodem Irenæo *lib. II. 25.* teste, *Jesum non esse ex virgine*
natum, sed Josephi & Mariæ filium fuisse, similiter ut
reliqui omnes homines: post baptismum descendisse in
eum Christum, & tunc annuntiâsse Patrem, & virtutes
perfecisse; in fine iterum revolâsse Christum de Jesu, &
Jesum passum esse & resurrexisse. Idem Irenæus *lib.*

III. 12. ita scribit: *Volens Johannes omnes hæreses excludere, & regulam veritatis constituere in Ecclesia, quod unus est Deus omnipotens, qui per verbum suum omnia fecit, visibilia & invisibilia, &c. sic inchoavit: In principio, &c. Quicquid sit, dubitari nequit, ipsum pro ferventissima sua in Christum fide, & pia pro Ecclesia solitudine, maxima quæque Christi opera & beneficia, sermones imprimis Christi planè Divinos & sublimes, quàm exactissimâ diligentia describere voluisse, ut ex his Ecclesia ad finem usque mundi fidem in Jesum Christum, verum Deum & hominem, ac charitatem erga Deum & omnes sanctos disceret, nec incerto opinionum fluctuaret: omniumque adeò hæresium, quæ & tum extiterant jam, & deinceps extiturae erant; blasphema contra Christum & redemptionem ejus dogmata; validissimè confutandorum regula extaret.*

V. Sic ergo S. Johannes historiae & sermonum Christi coronidem contexturus, lætum & salutare illud nuntium de Servatore nostro, Dei æterni λόγος æterno, in carne manifestato, per conciones & miracula evidentiâ populo Dei patefacto, per passiones consummato, & propter justificationem nostram resuscitato, scripto complectitur.

VI. Scripsit autem Evangelium Linguâ Græcâ, Idioma. novo fœderi omnibus gentibus proponendo convenientissimâ, tum ob communem intelligentiam, cum Hieronymi adhuc ætate *sermone Græco omnis Oriens locutus fuerit*, uti ipse lib. 2. in *Epist. ad Gal.* loquitur, ubi etiam in Italia, Galliâque & reliquo Occidente Græcam Linguam non ignotam fuisse docet: tum ob versionis in alias linguas commoditatem, quòd Græca Lingua præ cæteris omnibus maximè communis esset. Unde & hoc Evangelium in Hebræum sermonem Epiphanius *hæres. 51. in Job.* Syros, Ægyptios, Indos, Persas, Æthiopes, & innumeras alias gentes in suam illud linguam transtulisse, testatur. Dissimile quoddam ab aliis, & ferè suum habere genus dicendi, quod sibi

Evang. S. Joh. sibi velut ansulis quibusdam connexum cohæreat, contextum nonnunquam ex contrariis, nonnunquam ex similibus, nonnunquam ex iisdem subinde repetitis, Erasmus monuit. Propria ferè eximîaque Johannis sermoni sunt, quòd sæpe adhibet exeges, obscura clarioribus explicans: quòd antitheses illustrationis & confirmationis causâ subinde usurpat: quòd crebris repetitionibus utitur: quòd appendices adnectit, quas Latini per voculam *nempe* exprimunt: quòd antecedens sæpe pro relativo ponit: quòd evidentîæ & certitudinis gratiâ crebrò demonstrativa locutione, *hic, hæc, hoc*, utitur: quòd denique solus Christum λόγος, sermonem nuncupat. Quorum S. Johannis idiotismorum exempla Doctiss. Glassius *Philol. S. pag. 339. &c.* plura protulit.

Tempus VII. Tempus scriptionis quod attinet, post reliquos Evangelistas illum, & quidem senili fessâque ætate, scripsisse, veteres consentientes tradidere. In insula Patmos circa annum 30. post ascensionem scripsisse, Theophylactus habet. Neque aliter Codex Arabicus Kirstenii, *pag. 51.* At post reditum ex insula Patmos, cum Ephesi degeret anno ætatis 97. scripsisse, Irenæus *lib. III. 1.* Athanasius in *Synopsi*, Hippolytus Portuensis apud Cedrenum in *Nerva*, & Epiphanius *heres. 51.* commemorant; quorum verisimilior certè traditio est.

Distributio VIII. Uti superiorum Evangelistarum, ita hujus quoque liber quinque partibus absolvitur. *Primò* enim persona & adventus Christi describitur, cap. I. 1-19. *Secundò* Johannis Baptistæ ministerium exponitur, cap. I. 19--37. *Tertiò* actiones Christi, doctrina & miracula narrantur, cap. I. 37-XIII. *Quartò* passionis, cap. XIII--XX. *Quintò* gloria resurrectionis, cap. XX. XXI. commemorantur.

Partes. I. *Personæ & adventus Christi descriptio.* Cap. I.

I. 1--19.

Descriptio Christi Sermo ille, qui in principio apud Deum fuit, Deus, conditor omnium, in quo vita erat, lux, de quo testatus est Johannes, (9.) in mundo fuit, non agnitus ab eo, agnitus

tus tamen à regeneritis, (13.) caro factus, inter nos habitavit, author revelatorque gratiæ solius. (18.) *cap. I. S. Joh. 1-19.*

II. *Johannis Baptiste ministerium.* Cap. I. 19--37. II.
 Johannes à Judæis requisitus, se Christum esse negans, vocationem esse clamantis in deserto profitetur, (24.) baptismum suum explicat, Jesum agnum Dei demonstrat, & filium Dei esse testatur. (36.) *cap. I. 19--37.*

III. *Actiones Christi, doctrina & miracula.* Cap. I. 37--XIII. Vide III.

1. Vocationem Andreae, Petri, Philippi, (47.) & colloquium cum Nathanaële, qui Nazaretho boni quid prodire non putavit, ac denique Jesum filium Dei, Regem Israël professus est. (52.) *cap. 1.*

2. Signorum Christi initium, aquam Canæ Galilæorum in vinum commutatam. (12.) *cap. 2: 1--13.*

3. Dicta & facta tribus primis paschatibus. *cap. 2: 13. 13. Cap. 2. Vide*

a. Dicta & facta primo Paschate, *cap. 2: 13-5. Christus nempe*

α. Hierosolymam ad Pascha ascendens, (13.) Templum ingressus, vendentes ibi & ementes flagello abigit, (17.) & in autoritatis signum, Templum corporis sui, à Judæis solvendum, & à se resuscitandum pronuntiat, (22.) & miraculis editis, multisque in eum credentibus, ipse se iis non credit. (25.) *cap. 2.*

β. Nicodemum in mysterio regenerationis, fide in mortem ejus, & infidelium condemnatione instruens, (21.) in Judæam progressus baptizat, (24.) Johanne discipulos suos de suo officio & Jesu excellentiã edocente. (36.) *cap. 3.*

γ. In Galilæam trajiciens, (3.) mulierem Samaritanam prope urbem Sichar, & cives Sichar in sui cognitionem perducit, (42.) & à Galilæis receptus, magna cum fama in Synagogis eorum prædicat, (45.) atque in Cana filium Regii, Capernaumi ægrotantem, sanat. (54.) *cap. 4.*

b. Dicta & facta Paschate secundo, *cap. 5-7. Ubi Christus*

α. Ægrotantem 38. annos, ad piscinam Bethesda decumbentem, sanans, (26.) Judæis ipsum interire studentibus, quòd ista Sabbatho fecisset, & Patrem suum Deum dixisset, apologiam Divinissimam opponit. (47.) *cap. 5.*

β. Quinque panibus & 2. pisciculis, quasi 5000. pasceus, (13.) cùm Regem propterea eum constituere Judæi vellent, discipulos præire in ripam alteram jubet, tempestatem obortam sedat, (21.) Capernaumum ad se venientibus de pane vitæ concionatur, (40.) murmurantibus Judæis, se panem vitæ esse asserit, (65.) & multis discipulorum recedentibus, Apostolis verò abire nolentibus

Evang.
S. Johannis.
7.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

IV.
Passio-
nes
Christi.
13.

IV. *Passiones Christi, quarto Paschate subita. Cap. XIII--XX. Vide*

- I. Antecedentia passionem. cap. 13--18. Christus nempe
a. Coenam peractam, ab ea surgit, & pallium deponit, acceptoque linteo se praecingens, pedes discipulorum, etiam Petri, primum renuentis, extergit, (12.) charitatem & humilitatem suo exemplo iis commendat, (17.) proditorem designat eum, cui intinctam ossulam dederit, Judam, (29.) qui statim exivit ad eum prodendum, (30.) Jelu de sua glorificatione, in-

bus unum ex iis Diabolum pronuntiat. (7.) *cap. 6.*
c. Dicta & facta Paschate tertio, cuius *Joh. 6:4.* mentio est. cap. 7--13. Christus nempe

a. Ad festum scenopegias occulte profectus, (9.) turba quaerente, & de ipso missitante, in Templo docet, (14.) & doctrinam eam non suam, sed patris esse, multaque alia convitiantibus respondet; (31.) sexto die festo ad se omnes invitat. inde disfidium obortum, & ministri ad capiendum eum missi causam ejus defendunt. (53.) *cap. 7.*

β. Mulierem in adulterio deprehensam judicare renuens, (11.) se lucem mundi esse asserit, multaque de Patre, de se, quod vadat, quis sit, de Patre Abrahamo, de servitute peccati, Diabolo, de se daemonium non habente, morte non gustanda, si quis sermonem ejus servaverit, docet, (58.) Judaeis vim adversus ipsum frustra parantibus. (59.) *cap. 8.*

γ. Praetergrediens mendicantem caecum restituit, (7.) qui videns factus, saepiusque examinatus ipse una cum parentibus, Christum defendit, & Synagogam movetur. (42.) *cap. 9.*

δ. De se, ostio ovilis, Pastore illo bono, furibus & mercenariis concionatur, (21.) se esse Christum, & unum cum Patre asseverat, (30) blasphemiae crimen amolitur, multique in eum credunt. (42.) *cap. 10.*

ε. Lazarum mortuum, jamque olentem vitae restituit, (46.) a quo tempore, consilio a Cajapha suppeditato, quod praestet unum, quam populum mori, vitae ejus insidiae quaesitissimae fruuntur. (57.) *cap. 11.*

ζ. Bethaniae, Mariam pedes ejus ungente, cum Lazaro discumbit, (17.) pullo asinae vectus Hierosolymam ingreditur, (18.) super urbe flet, (19) Graecis ipsum videre cupientibus de passione sua concionatur, (26.) Patremque invocando responsum a Caelo accipit, (30.) iterumque de sublatione sua est terris agens, eis, qui de ea ulterius quaerebant, respondet, (36.) & tot signis editis licet, non credentibus in eum nisi primoribus quibusdam, fident profiteri non ausis. (43.) unde denuo clamans Jesus de fide in se concionatur. (50.) *cap. 12.*

stante

stante habitu, & mutua dilectione verba faciente, *Evang.*
& Petro lapsum prædicente. (38.) *cap. 13.* *S. Joh.*

- b. Contra trititiam ex morte ejus conceptam, ex ejus- *Cap. 14.*
dem usu discipulos consolatur, (4.) quæstionibus
Thomæ, Philippi & Judæ sigillatim respondet, (15.)
Spiritus Sanctum doctorem promittit, (26.) pacem
suam relinquit, (27.) iterumque de morte sua instan-
te, lætæque ejus fructu differit. (31.) *cap. 14.*
- c. Similitudine vitis & palmitum hortatur ad ferendum *15.*
fructum, (8.) ad permanendum in dilectione Dei,
mutuum inter se amorem, mundi odium perferen-
dum excitat. (27.) *cap. 15.*
- d. Eosdem munit contra persecutiones, (4.) & tristi- *16.*
tiam ob discessum ejus, promisso Spiritu paracleto,
& lætus in gaudium conversione, exemplo mulieris
puerulum parturientis, (22.) exauditionem precum
promittit, (27.) & exitum suum ex mundo, ac di-
spersionem suorum prælagit. (33.) *cap. 16.*
- e. Divinissima ad Patrem oratione pro mutua gloriæ *17.*
suæ & Patris illustratione, (5.) pro Apostolis (19.)
pro fidelium toto grege (26.) intercedit. *cap. 17.*
2. Passionem ipsam. *cap. 18. 19.* Christus
- a. Captus, (11.) ad Annam & Cajapham deducitur, (24.) *18.*
& Petro ipsum abnegante, (27.) à Sacerdotibus Pi-
lato traditur, qui eum liberare satagit. (40.) *cap. 18.*
- b. Flagellatus, spinis coronatus, illusus condemnatur, *19.*
(15.) crucifigitur, & vestimentis ejus inter milites
sorte distractis, nec non matre Johanni commenda-
ta, aceto potatus moritur, (30.) & latere ejus post
mortem perfollo, (37.) sepelitur. (42.) *cap. 19.*

V. *Gloria resurrectionis.* *Cap. XX.XXI.* Christus V.

1. Resuscitatus ex mortuis Mariæ Magdalenæ apparet, *Gloria*
quæ lætum nuntium discipulis fert; (18.) tum discipu- *Christi.*
lis etiam apparet, iisque officium commendat, (23.) &
Thomæ, resurrectionem ejus in dubium vocanti, ean-
dem, infidelitate correpta, demonstrat. *cap. 20.*
2. Septem discipulis inter piscandum apparet, (44) Pe- *21.*
trum de dilectione Christi interrogatum in integrum
restituit, (17.) ei futuras passiones prædicat, & de Jo-
hannis fato interrogantem curiositatem ejusdem re-
primit, (23.) Johanne demum libri authorem se pro-
fitente, eundemque claudente. (25.) *cap. 21.*

TABULA SYNOPTICA EVAN-
GELII S. JOHANNIS.

Partes.

I. Personæ & adventus Christi descriptio, cap. I:

I--18.

II. Johannis Baptistæ ministerium, cap. I: 19--37.

III. Actio-

*Evang.
S. Jo-
hannis.*

- III. *Actiones Christi, cap. I: 37--XIII. ubi*
1. *Vocatio Apostolorum. Nathanaël, c. 1: 37--f.*
 2. *Signum ejus primum in Cana, c. 2: 1--13.*
 3. *Gesta*
 - a. *Paschate primo, c. 2--5. ubi*
 - α. *Templi reformatio, corporis solutio, c. 2: 13--f.*
 - β. *Colloquium cum Nicodemo. Johannis baptis-
mus, c. 3.*
 - γ. *Colloquium cum Samaritana, filius Regii, c. 4.*
 - b. *Paschate secundo, c. 5--7. ubi*
 - α. *Ægrotus Bethesda sanatus, apologia
contra Judæos, c. 5.*
 - β. *Cibatio miraculosa, c. 6.*
 - c. *Paschate tertio, c. 7--13. ubi*
 - α. *Disceptatio cum Judæis de sua persona, c. 7.*
 - β. *Mulier adultera, contentio cum Judæis de
se, Patre, &c. c. 8.*
 - γ. *Cæcus natus sanatur, & Christum seque
defendit, c. 9.*
 - δ. *Pastor verus, dissensio propter Christum,
c. 10.*
 - ε. *Lazarus resuscitatus, & insidiæ adversus
Christum, c. 11.*
 - ζ. *A Maria ungitur, Hierosolymæ ingressus,
Græcos de passionibus suis docet, c. 12.*
- IV. *Passiones, cap. XIII--XX. ubi*
1. *Antecedentia, c. 13--18. ubi*
 - a. *Ablutio pedum, Judas proditor, adhortatio ad
amorem, c. 13.*
 - b. *Tristitiæ discipulorum occurritur, questionibus
respondetur, Paracletus promittitur, c. 14.*
 - c. *Parabola vitis, Dilectio commendata, c. 15.*
 - d. *Predicta persecutio, Spiritus S. aliæque pro-
missa, c. 16.*
 - e. *Oratio pro glorificatione sui, Apostolis, fide-
libus, c. 17.*
 2. *Passio ipsa, c. 18. 19. ubi*
 - a. *Christi captivitas, Petri abnegatio, traditio
in potestatem gentium, c. 18.*
 - b. *Illu-*

b. *Illusio, condemnatio, crucifixio, mors, sepultura, c. 19.* *Evang. S. Jon.*

V. *Gloria resurrectionis, cap. XX. XXI.*

1. *Christus resuscitatus apparet Mariae, discipulis, Thomae, c. 20.*
2. *Apparet 7. discipulis, Petrum in munus pascendi restituit, ad passiones preparat, c. 21.*

Interpretes S. Johannis.

S. PATRES. Anshelmus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Rupertus, Zacharias Chryfopolitanus.

REFORMATI. Camero, Curio, Frizius, Gomarus, Heinsius, Musculus, Oecolampadius, Pezelius, Urfinus, Zepperus, Angli. Hutcheson, Rollocus, Traheron.

AUGUSTANI. Brentius, Bugenhagius, Chytræus, Cruciger, Glassius, Hemmingius, Hunnius, Lutherus, Melancthon, Mentzerus Mylius, Pelargus, Selneccerus, Tarnovius, Wigandus, Winpim.

PONTIFICII. Alesius, Arcularius, Capponus à Porreeta, Corderius, Ferus, Guillaudus, Hofmeisterus, Muffæus, Oforius, de Palatio, Pererius, Porretanus, Ribera, Rupertus, Titelmannus, Toletus, Villagadus, Albinus, Victorinus, Thomas, Bonaventura, Rich. de Media Villa, Cajetanus, Janfenius, Servius, Baradius.

Ad dantur Interpretes Librorum N. Test. Cap. I. & quatuor Evangelistarum. Cap. II. Literâ A.

CAPUT VI.

DE

Harmonia Evangelica.

BREVIARIUM.

Evangelicam historiam cur à pluribus exarari Deus voluerit? Numeri quaternarii Evangelistarum rationes variae. 1. Quadrigâ mysticâ Ezechielis adumbratos censet Hieronymus. Quatuor animalia à veteribus iis diversimodè nexa. 2. Evangelistæ qua re convenient & differant? Differentiæ causa ex Chrysofomo redditur. 3. Harmonia Evangelica desinitur. Ejus

Harmonia Evangelica.

consignatio temeraria non est, cum Evangelistæ ipsi ordinis notitiam suppeditent; sed aprimè utilis: proin etiam à veteribus & recentioribus tentata. 4. Ad harmoniam illam rectè figendam vera temporis ministerii Christi supputatio investiganda, & tempus illud in certos annos distribuendum est. Ministerii Christi termini generales, nimirum Baptismus ejus & assumptio in Cælum. 5. Spatium inter Baptismum & assumptionem variè inter veteres & recentiores disceptatum. 6. Intervallum illud per Paschata divisum. Quatuor Paschata ex Johanne eruta. Scaligeri de quinto, opinio refellitur. 7. Supputatio quatuor paschatum, seu trium & dimidii annorum ex Daniele, exterisque etiam historiis colligitur. 8. Quomodo tempus ministerii Christi in certos annos distribui possit, ita ut constituto anni cujusque exordio & termino observari possit, ad quos annos, quæve paschata singulæ historiæ referendæ sint, investigatur. Singulorum annorum vel Paschatum historiæ quomodo ad certam seriem redigendæ sint? Evangelistas hac in re sibi invicem manus porrigere, demonstratur. 10. Investigandi ordinis & consequentiæ historiarum regule variæ constituuntur. 11. Partes harmoniæ sex recensentur. I. Historia antecedens ministerium Christi publicum. II. Primordia ministerii ejus inde à Baptismo ad primum usque Pascha. III. Historia primi Paschatis, seu anni post dimidium initialem primi. IV. Historia secundi Paschatis. V. Historia tertii Paschatis. VI. Historia Paschatis quarti, seu emortalis. Interpretes Harmoniæ Evangelicæ, ejusque Tabula Synoptica. 12.

I. **P**lacuit Deo Sapientissimo Evangelium scri- Harmo-
nia E-
vange-
lica.
pto mandari, non uno, sed pluribus, iisque Evangelium
a diver-
fis cur-
scri-
ptum?
quatuor scriptoribus sacris, tum ut in plu-
rium testium, & duorum quidem oculatorum, puta Matthæi & Johannis; duorum verò aurito-
rum, puta Marci & Lucæ, ore rata magis veritas de Christo Salvatore mundi haberetur; tum ut perfectior etiam pleniórque historia, Matthæo, Marco & Luca ferè res gestas, Johanne sermones & doctrinam pertextibus, extaret, manifestúmque etiam fieret, quæ fuerit summa fidei diversarum & consentientium Ecclesiarum, puta *Hierosolymitanae*, in qua Matthæus, *Romanae*, in qua Marcus, *Antiochena*, in qua Lucas, & *Ephesina*, in qua Johannes prædicasse & scripsisse feruntur. Quas alii numeri quaternarii Evangelistarum rationes, seu conjecturas promunt, veluti quòd *quatuor sint partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari ipso sui muneris exordio quodammodo declararint*, uti S. Augustinus *de Cons. Evangel. lib. I. cap. 1.* loquitur: quòd *sint veluti quatuor columnæ, in quibus velut quadrato lapide S. fidei structura consurgit*, ut Gregorius M. *lib. 1. epist. 24.* habet: quòd numerus quaternarius sit quadratus & solidus; adeóque Evangeliorum soliditatem & perfectiorem decuerit: quòd sicut in aula cœlesti quatuor Cherubini sunt, quasi principes & Sapientes Dei; sic in Ecclesia terrestri oportuerit esse quatuor Evangelistas, quasi principes & Cherubinos Christi, & si quæ alia hæc similia veteres & recentiores ingeniosè proferunt; addo etiam numeri ejus typos & figuras, quas tredecim à Lyrano in *Proœmio Marci* allatas repetere heic nihil attinet; tanti esse non videntur, ut in numerum perveniant.

II. Quatuor Evangelistas quadrigâ illâ mysti- Quadri-
ga my-
stica E-
zechie-
câ, Ezechielis, cap. I. & X. adumbratos esse, etiam S.
S. Augustinus prodidit. Idque etiam his verbis S.
Hieronymus *Epist. 103. ad Paulinum* explicat: *Mat-*
thæus, Marcus, Lucas & Johannes quadriga Domini,
Es verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multi-
tudo, per totum corpus oculati sunt, scintilla emicant,

Harmo-
nia E-
vange-
lica.

discurrunt fulgura, pedes habent rectos & in sublime pendentibus, terga pennata & ubique volitantia. Tenent se mutuo, sibi perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur & pergunt, quocumque eos flatus S. Spiritus perduxerit. Sed & quadrigæ hujus Ezechielis quatuor animalia veteres Evangelistis adaptarunt, non eadem tamen ratione omnes. Græci enim Matthæo hominem, Marco aquilam, Lucæ bovem, Johanni Leonem, sociarunt. Augustinus verò Matthæo Leonem, Marco hominem, Lucæ vitulum, Johanni aquilam junxit. Hieronymus denique, cujus ordinem plerique hodie sequuntur, Procm. in S. Matth. Matthæo hominem, Marco Leonem, Lucæ vitulum, Johanni aquilam connexit. Cujus combinationis rationem his verbis idem Hieronymus reddit: *Prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere: Liber generationis Jesu Christi, filii Davidis, filii Abraham. Secunda Marcum, in qua vox Leonis in eremo rugientis auditur: Vox clamantis in deserto: Parate viam domino, rectas facite semitas ejus. Tertia vituli, quæ Evangelistam Lucam à Zacharia sacerdote sumpsisse initium præfiguratur. Quarta Johannem Evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ ad altiora festinans, de verbo Dei disputat. Quæ ipsa quoque non tam à Spiritu S. intenta, quam ab hominibus piè accommodata recipimus.*

Evangelista-
rum
conve-
nientia,
& diffe-
rentia.

III. Commune id habent omnes Evangelistæ, quòd Spiritu Dei docti, historiam Christi artificioso admodum compendio edisserunt atque constringunt. Differunt equidem hæctenus, quòd singuli occasione singulari invitante, alii fusiùs, contractiùs alii scripserunt: quòd singuli commune argumentum specialibus quibusdam narrationibus sive rerum gestarum, sive sermonum etiam locupletarunt: quòd singuli peculiari orationis scriptionisque genio res easdem complexi sunt, Matthæo mediocri; Marco humili, Luca florente, Johanne grandi caractere usis: quòd singuli peculiarem delegerunt ordinem, prout illum occasionis & instituti ratio singularis postulare visa est. Ea nihilominus dissensus species verissimi etiam con-

confeſus indicium præbet. Rectè enim jam olim *Harmonia* S. Chryſoſtomus *Comment. in princ. Matth.* ſic arguit, conſpirationis ſuſpicionem apud hoſtes veritatis neutiquam effugituros fuiſſe Evangeliſtas, ſi dicendorum ordo, nexus, verba denique ſingula ad amuſſim congruerent. Nunc diverſitate illa, qualiſcunque demum eſt, ſiniſtram ejuſmodi ſuſpicionem penitus tolli. Sive etiam, uti idem S. Pater arguit, unus eorum quiſpiam univerſa dixiſſet, ſuperfluus fuiſſet numerus cæterorum: ſive quiſque eorum diverſa & nova adeoque alia omnia ſcripſiſſet, convenientiæ documentum apparuiſſet nullum. Proin & communiter multa dixerant omnes, & nihilominus quiſque ſingulare quidpiam, cum communibus tamen neutiquam pugnans, conſcripſit.

IV. Sic igitur *Harmonia Evangelica*, ceu muſica quædam Diateſſaron conſonantia, conſtat, in qua hiſtoria vitæ, mortis, reſurrexionis & aſcenſionis Chriſti ex quatuor Evangeliſtis invicem comparatis, & communia, ſeu ab omnibus tradita, & ſingularis nonnulla communibus innexa ita re præſentantur, ut ordo temporis certis indiçis erutus ubique cuſtodiat, & ſingula ea ſerie temporis, quæ contigerunt, ordinata exhibeantur. Quæ harmoniæ conſignatio licet ab Evangeliſtis iſtis, utpote quorum inſtitutum non fuit, Annales vel Ephemerides, ſeu *ἡμερολογίων* conſcribere, non compoſita; nec temeraria tamen, vel præter mentem Evangeliſtarum eſt, cum ipſimet, Lucas maxime, notatione circumſtantiarum ſubindicârunt, quod ordo & temporis & rerum geſtarum in Evangelica hiſtoria in plerisque narrationibus & inveſtigari & inveniri poſſit; in reliquis verò rationes veriſimiles & conjeçturæ non abſurdæ, religioſæ pietati, quæ non præciſionem momentorum, ſed ordinem aliquem *ἐν πλάτῃ* quærit, ſufficiant; nec inutilis cenſeri debet. Nam & facit illatum ad retundendas impiorum, Porphyrii, Celfi & ſimilium calumnias, criminantium, quod Evangelii hiſtoria ſibi non conſtet, malèque cohæreat;

*Harmo-
nia E-
vange-
lica.*

reat; tum ad confirmandos pios, qui sæpe, salva quidem fide, specie seu opinione quadam discrepantiæ aut confusionis, in Evangelicæ historiæ lectione turbantur: & in Evangelica historia multa pulcherrimè illustrat, ut vicem non contemnendi commentarii fungi possit. Sed & plurimum religiosæ jucunditatis hæc consideratio habet. Si enim in profanis historiis illorum studium commendatur, qui ex variis scriptoribus & commentariis, præstantium virorum vitas, monstrato, quantum fieri potest, & temporum, & rerum gestarum ordine definiverunt; non possunt non magnopere delectari piæ mentes, cum dulcissimi Salvatoris nostri totam vitam, & salutaria acta certo ordine memoriâ complecti, & mente circumferre possunt. Hinc adeo tum veteres, Tatianus, Origenes Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Theophilus Antiochenus, Augustinus: tum recentiores post Petrum Comestorem, Bonaventuram, Ludolphum de Saxonia, Gersonem; Calvinus, Osiander, Bugenhagenus, Chemnitius, Vossius, Richardsonus, Carthwrightus, Lighthootus, alique etiam Pontificii, quos in loco recensebimus, in concinnanda harmonia operam saluberrimam navârunt.

*Suppu-
tatio
tempo-
ris mini-
sterii
Christi.*

V. Ad harmoniam porrò illam rectiùs figendam tum vera temporis ministerii Christi supputatio investiganda est: tum dispiciendum etiam, qua ratione totum illud tempus in certos annos distribui valeat. Et Scriptura quidem terminos, seu limites hujus ministerii, quando inchoatum, & quando absolutum fuerit, generaliter notat. S Petrus enim Act. I. 21. εἰσέλευσιν καὶ ἐξέλευσιν imitro-
tum & exitum ministerii Christi sic distinguit: *Toto tempore, in quo ingressus & egressus inter nos est Dominus, incipiens à baptismo Johannis usque ad illum diem, quo assumptus est à nobis. Et Act. X. 37. Incipiens à Galilea post Baptismum, quem predicavit Johannes. Quomodo unxerit Deus Jesum à Nazareth Spiritu. S. & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando, quem occiderunt. Hunc Deus suscitavit tertia die, & exhibuit*

mani-

manifestum testibus præordinatis. Initium igitur mi-^{Harmonia Evangelica.} nisterii Christi capiendum à Johannis Baptismo est, utpote in quo voce cœlesti Dei Patris consecratus, & à Spiritu S. unctus, ad prædicandum Evangelium missus est, Luc. IV. 18. incipiens inde *ποιεῖντι κὲ διδάσκειν facere & docere*, Act. I. 1. in eodémque munere usque ad tempus *ἀναλήψεως assumptionis* in Cœlum perdurans.

VI. De spatio porrò temporis, quod inde à Baptismo Christi usque ad ejus in Cœlum ascensionem intercessit, non concors est sententia omnium. Vulgaris apud vetustissimos opinio fuit, & ascensionem Christi ministerium terminari, occasione inde accepta, quòd Matthæus, Marcus & Lucas unius Paschatis meminerint. Primus Irenæus observavit, Johannem plura festa Paschalia in ministerium Christi incidentia numerare. Neque tamen is ex Johanne Paschatum numerum rectè definivit: quin potius ad traditiones, quæ ejus ætate magna specie prætexebantur, delapsus, omnes Seniores in Asia testatos refert, Johannem tradidisse, Christum baptizatum quidem anno tricesimo, docere tamen non cœpisse ante annum ætatis quadragesimum, quo tempore ætatem magistri atigerit; ac demum, cum per annos aliquot docuisset, pervenisse illum ad ætatem Seniorum, quæ non multum ab anno quinquagesimo abfuerit. Sed traditio illa planè ἀδύνατον veri speciem nullam habet, & historiæ Evangelicæ apertè repugnat. Nostro quoque Seculo Theologi & Chronologi divortiis sententiarum distrahuntur, dum alii tria duntaxat paschata tempore ministerii Christi admittunt: alii quatuor ex Evangelistis colligunt; quinque alii, ex quorum numero Josephus Scaliger *de Emendat. lib. 6. pag. 552.* eúmque secutus Wilhelmus Langius *de Annis Christi lib. 2. cap. 10.* ex Evangelistis, Sethus Calvisius verò *Isag. Chronol. cap. 49.* ex Canonibus periodi Callipicæ, nec non medio motu Lunari quinque paschata eruere & demonstrare satagunt.

VII. De re totâ sic nos censemus. Omnino, ^{Inter-} illud ^{vallum}

*Harmo-
nia E-
vange-
lica.
per Pa-
schata
divisum.*

ficut Thucydides per æstates & hyemes bellum Peloponnesiacum quondam descripsit, ita in re hac paulò obscuriore intervalla quædam assumenda sunt, quibus totum illud tempus à baptismo ad resurrectionem usque perspicuè notari possit. Intervallum autem illud rectè per Paschata divisum arbitramur. Quot verò Paschata à baptismo Johannis ad ejus usque ascensionem decurrerint, omnium optimè ex S. Johanne, qui de industria illa signâsse videtur, colligi potest. Quatuor autem, non plura Paschata is memorat. *Primum* disertè notatum est cap. II. 13. 23. ubi propinquo Paschate Christus Hierosolymam ascendisse, & cum ibi in Paschate esset, multi in ipsum credidisse dicuntur. *Secundum* est cap. V. 1. ubi dicitur fuisse *ἑορτὴ festum* Judæorum, ad quod Hierosolymam ascendit Christus. Quod non Pentecosten, uti Chrysostomus, Cyrillus & Epiphanius putârunt, sed Pascha fuisse, non tantùm olim Irenæus agnovit, sed etiam colligitur ex cap. IV. 35. ubi Christus dicit: *ὅχι ὑμῶς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμησιον ἐστὶ, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται*, Nōnne vos dicitis, quòd quatuor adhuc menses sint, & messis venit. Hæc igitur dicta sunt circiter mensem Thebeth, Decembri respondentem. A quo tempore festum proximum non aliud erat quàm Pascha. In Palæstina enim messis hordeacea statim post Pascha inchoari, & triticea ante Pentecosten finiri suevit. Altero quippe die Paschatis manipulus spicarum, primitiæ messis, ferri debuit, uti ex Exod. XXXIV. 22. Levit. XXIII. 10. Num. XXVIII. 26. Deut. XVI. 9. colligitur. *Tertium* Pascha Joh. VI. 4. indigetatur, his verbis: *Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.* Erat autem propinquum Pascha, festum Judæorum. Cui succedens *quartum* idémque ultimum, τὸ σαυροσίμων καὶ σωτήριον, in quo Agnus verus pro nobis macâtatus, cap. XI. 55. 56. XII. 1. 2. &c. XIII. 1. insinuatur. Quòd verò quintum Pascha, inter secundum & tertium à nobis recensitum, ex Matth. XII. 1. & Marc. II. 23. & Luc. VI. 1. ubi fit mentio Jesu *ἰν Σαββάτῳ Δευτεροπρώτῳ* in Sabbatho altero-
primo

primo per maturas fegetes ambulantis, Scaliger, *Harmo*
 aliique elicere conantur, solidum non videtur. *nia E-*
 Sabbathum enim illud *δεύτεροπρωτον*, sive præcessit *vange*
 Pascha, sive illud excepit proximè, illud ipsum *lica.*
 Pascha, cujus Joh. V. 1. mentio est, & quod *secun-*
dum nos constituimus, vel præcessit, vel excepit
 proximè. Neque distinctionis ratio ulla apparet.

VIII. Supputatio illa quatuor Paschatum ab *Pasch*
 eruditis etiam colligitur ex Daniel. IX. 27. ubi *tum*
 Messias, cujus ibi post septuaginta hebdomadas *quatu* or
 passio, seu adductio æternæ justitiæ prædicatur, *suppu* i-
 cum multis firmaturus dicitur pactum hebdomada *tatio.*
 una, in cujus medio (oblatâ scilicet corporis sui
 victimâ) aboliturus sit hostiam & sacrificium.
 Facit autem dimidia septimana tres annos cum
 dimidio, intra quos quatuor Paschata celebrata
 sunt. Hinc adeò sumpta est communis & recepta
 sententia, quæ etiam in Theophili fragmentis extat,
 Christum in ministerio suo, docendo & faciendo,
 versatum esse annos tres & totidem menses, seu
 dies, quot à Baptismo ad primum Pascha interces-
 serunt. Cui sententiæ etiam exteræ historiæ suffra-
 gantur, Eusebio ex Ethnicorum monumentis reci-
 tante, quòd magna illa eclipsis, quæ Christo
 patiente contigit, Olympiadis 202. anno quarto
 contigerit: quòdque tempus illud in annum deci-
 mum octavum Tiberii, cujus etiam anno decimo
 quinto Christus ministerium suum obire cœperit,
 incidit.

IX. Quemadmodum verò tempus ministerii *Mini* i-
 Christi in præcedenti supputatione collectum in *steri* i
 certos annos distribui queat, ita ut constituto, *Chri* sti
 non exactè, saltem verisimiliter exordio & termino *distr* i-
 cujusque anni observari possit, ad quos annos *buti*) in
 singulæ historiæ referendæ sint, investigatum va- *part* es.
 riè est. In confesso autem est, à tempore Baptismi
 universum Christi ministerium exordium esse.
 Baptizatus secessit in desertum, uti videtur, ma-
 gnum, satis à Jordane distans, ibidemque jejuna-
 vit quadraginta dies, ita ut computato tempore,
 quo in desertum ivit, atque inde ad Jordanem re-
 diit,

Harmonia Evangelica.

diit, sexaginta præter propter dies ad tempus illud quo ad Jordanem rediit, labi potuerint. Ex deserto rediit ad Johannem Baptistam, Bethabaram, ubi cum Johanne testimonium ipsi perhibente aliquandiu conversatus, post Canam Galilæam ad nuptias profectus est. A reditu in Bethabaram ad nuptias illas in Cana decem circiter dies transigi potuerunt. Post nuptias ad primum usque Pascha Christum in Cana fortè non ultra quatuordecim dies, & Capernaum *ε̄ πολλὰς ἡμέρας non multos dies* (ponamus autem decem, sicut etiam Act. I. 5. *non multi dies decem dies notant*) exegisse, Johannes cap. II. 1. 12. testatur. Post cùm prope esset Pascha, Hierosolymam ascendit, v. 13. Ascendere autem aliàs fœvit sex dies ante Pascha, Joh. XII. 1. Additis igitur paucis diebus, quos ex Cana Capernaum, & ex Capernaum Hierosolymam proficiscendo consumpsit, à nuptiis in Cana celebratis ad proximum usque Paschatis festum quadraginta circiter dies fluere potuerunt. Illi porrò si addantur septuaginta præcedentibus, & Pascha vel usitato modo ad diem 25. Martii, vel, sicut Epiphanius dicit, se *ἐκ πολλῆς ἀκριβοῦς* deprehendisse, ad diem 19. Martii referatur: supputatio talis, non præcisa equidem, sed *ἐν πλάτῃ* instituta, (quæ tamen à veritate multùm abluere non potest) tempus Baptismi Christi vel ad finem Novembris, vel ad principium Decembris deducet. Hoc tempore vestigato, *primus* annus ministerii Christi à Baptismo usque ad captivitatem Baptistæ, quando eo capto Christus per Samariam profectus est: (nam inde ad Pascha sequens quatuor menses decurrerunt, Joh. IV. 35. ut in Decembri illud iter suscipi debuerit.) *Secundus* à captivitate Baptistæ usque ad ablegationem discipulorum: (Johannes enim cap. VI. 4. innuit, propinquum fuisse Pascha, cùm miraculum de quinque panibus factum esset; reliqui verò Evangelistæ innuunt, tum Apostolos ex prima legatione rediisse, cùm omnes civitates Israëlis peragrassent, Matth. X. 23. quod trium minimum, vel quatuor mensium spatium requirebat.)

bat) *Tertius* à discipulorum ablegatione usque ad festum Encœniorum, sub fine Novembris agitari suctum, Joh. X. 22. *quartus* denique, (dimidius scilicet) à festo Encœniorum usque ad ascensionem in Cœlum. Quæ quidem annorum Christi incipientium & desinentium series, tametsi plana satis est, ita ut ad eam harmoniam non incommodè docti exegerint: facilior tamen & expeditior, neque etiam multùm differens, nobis videtur illa ratio, quam Ammonii fragmenta & post illa Scaliger, Richardsonus, Usserius, aliique sequuntur, ut scilicet ordo historiarum distribuatur secundùm Paschatz. Quæ quatuor superiùs *ss. VII.* ex S. Johanne demonstravimus.

X. Ad harmoniam Evangelicam constituendam hoc etiam pertinet, ut singulorum vel annorum, vel Paschatum historiæ non tumultuaria quâdam confusione permisceantur, sed ut, quoad ejus fieri potest, investigetur, quæ ratio sit *ακολουθία*, quo tenore seu ordine consequentiæ, juxta temporum & rerum gestarum seriem, historiæ sibi succedere videantur; vel, sicut Augustinus loquitur, quæ historiæ ante quas & post quas probabili ratione collocandæ sint. Ordo igitur consequentiæ, cujus rationes si non ubique certæ, & semper manifestæ, (neque enim à temporum exquisita notione fides nostra pendet) probabiles tamen, nec absurdæ, vel verò absimiles reddi possint. Olim quidem Tatianus ad contextum à Matthæo utpote primo servatum, reliquorum narrationes accommodandas putavit. Alii ordinis hujus duccem Marcum: Lucam etiam alii, utpote qui in præfatione se scripturum *κατάξῆς* præcisè & secundùm ordinem profiteatur. Singulos porrò Evangelistas accuratum ordinem temporum custodivisse, primus Osiander pertendit. Sed res ipsa ostendit, Evangelistas tum in rebus, quæ narrant, tum in ordine ipso, mutuas sibi operas contulisse. Aliæ historiæ describuntur, additis notationibus consequentiam temporis liquidò arguentibus: aliæ sine notationibus ejusmodi. Ubi Matthæus notationem

Harmo-
nia E-
vange-
lica.

Pascha-
ta ad
certam
seriem
redi-
guntur.

Harmo- nem omisit, ibi alii circumstantias ponunt, ex qui-
nia E- bus ordinis ratio colligi potest. Ubi Matthæus
vange- notationem addit, ibi alii eam omittunt, vel trans-
lica. positione utuntur. Multa etiam per anticipatio-
 nem vel ἀνακεφαλαίωσιν *recapitulationem* dicuntur
 Præcisorem ordinem, quamvis etiam non accura-
 tum ubique, Marcus & Lucas tenent: & Lucas
 cum Marco quoad ordinem in multis consentit:
 in quibusdam verò ita ordinem negligit, ut is ex
 Matthæo & Marco suppleri debeat. Neque καθεξῆς
 ordinem consequentiæ præcisum, sed vel accura-
 tionem rei, quam altiùs repetere & ordiri, cujus-
 que summa capita accuratè perstringere constituit:
 vel eum modum, quo quid *figillatim*, non παχυ-
 μερῶς & ὡς ἐν τύπῳ describitur: vel scriptionis
 etiam ordinem, quia *deinceps*, seu post alios scri-
 psit, notat. Alii igitur, tum veteres, Theophi-
 us, Epiphanius, Augustinus, aliique, usque ad Ger-
 sonem; tum recentiores plerique, ordinem har-
 moniæ ad nullius solius Evangelistæ contextum
 præcisè alligârunt, sed tum ex diligenti συμβιβασ-
 collatione & consideratione circumstantiarum,
 quæ apud singulos Evangelistas extant: tum ex
 toto corpore historiæ Evangelicæ ordinem conse-
 quentiæ, in subsidium adhibitis generalibus qui-
 busdam regulis seu observationibus, investigant
 & colligunt.

Regulæ XI. Ejusmodi porrò regulæ investigandi ordi-
investi- nis, ex veteribus Tironio, Augustino, &c. &
gandi recentioribus à Doctissimo Chemnitio collectæ,
ordinis. præcipuæ sint, ut, cum triplex ordo in narratio-
 nibus observari soleat, *unus*, cum suo loco &
 ordine historiæ describuntur, sicut & quando acci-
 derunt; *alter*, cum extra ordinem, alia occasione
 historiæ posteriores priùs recensentur; quod *anti-*
icipationem Tironius & Augustinus vocant; *tertius*,
 cum quod ordine temporis priùs factum est, ex
 occasione narratur posterius, se inter illas histo-
 rias, quæ postea acciderunt, quod *Recapitulationem*
 Augustinus, *Rememorationem* Gerson vocat; dili-
 genter, cujusmodi ex tribus hinc historia sit,
 quæ

quæ hîc vel illic contextitur, observetur: idque sic fieri posse, si generales connexiones narrationis, quæ certum consequentiæ ordinem non arguunt, cujusmodi sunt; *in illo tempore, in diebus istis; & factum est; & veniens; & perambulavit, &c.* ab aliis specialibus formulis, quibus series, continuatio, seu consequentia rerum gestarum designatur, cujusmodi sunt; *cum descendisset de monte, ecce venit; transiens inde vidit; venit adhuc loquente ipso; cum exirent, obtulerunt ei; & factum, cum complêssset hæc mandata; illis abeuntibus cœpit dicere; finitis illis parabolis venit; factum est cum finisset hos sermones; cum exiret ex Templo, dixit; altera die, tertia die, post biduum; venit quidam; veniunt cognati; factum est ἐν τῷ ἔθνῃ, &c.* accuratè distinguantur: si particulæ ordinem aliquando continuum, aliquando interpolatum, cujusmodi sunt, *μετὰ ταῦτα post hæc; ecce & tunc;* ritè dijudicentur: si observetur, an Evangelistæ eandem historiam describentes, in ordine seu serie secundùm antecedentia & consequentia omnes consentiant, & notatione quadam circumstantiarum ordinem temporum indicent. Quo casu ratio ordinis expedita & plana erit; an etiam duo saltem consentiant, & tertius alium contextum habeat. Quo casu duorum suffragium proferendum, nisi tertius certiores & manifestiores servati ordinis notationes habeat; an in contextu unius Evangelistæ una historia post aliam sequente, atque ita, ut sequentem posteriorem esse constet, inter hanc præcedentem, & illam sequentem ex reliquis Evangelistis aliæ historiæ interponendæ sint, necne; an apud unum Evangelistam extet historia, ordine quodam præcedentibus subjuncta, in reliquis verò Evangelistis aliquid, notatione circumstantiarum inferendum, vel non inferendum occurrat; an collatis omnibus circumstantiis historia, quæ ad manus est, ante vel post præcedentia collocari possit, necne; quomodo narratione quidem juncta, cæterùm diverso tempore gesta, distingui, & suo loco ac ordine collocari possint; an in similibus præcipuæ circum-

Harmonia Evangelica.

stantiæ convenient, necne; an ratio peregrinationum, successionum & commorationum Christi in certis locis; vel tempus interjectum sive longum sive breve, historias hoc vel illo modo disponi patiatur, necne.

Harmoniarum partes.

XII. Sex autem in universum partes Harmoniæ Evangelicæ constitui possunt. *Primò* enim historia antecedens ministerium Christi publicum: *Secundò* primordia ministerii ejus inde à Baptismo ad primum usque Pascha: *Tertiò* historia primi Paschatis: *Quartò* historia secundi Paschatis: *Quintò* historia tertii Paschatis: *Sextò* denique historia quarti & ultimi Paschatis pertextendæ veniunt:

I. Historia antecedens ministerium Christi.

I. *Historia antecedens ministerium Christi publicum.*

Ubi est

1. Descriptio personæ & officii Christi generalis. *Joh. 1: 1--14.*
2. Conceptio Johannis & Christi, nec non visitatio Elisabethæ. *Matth. 1: 18--24. Luc. 1: 5--56.*
3. Nativitas Johannis, & ob eam canticum patris. *Luc. 1: 57--80.*
4. Nativitas Jesu Christi, nec non ejusdem circumcisio, præsentatio. *Luc. 2: 1--38. Matth. 1: 25. Joh. 1: 14.*
5. Genealogia Christi, ceu Regis Israël. *Matth. 1: 1--18. & filii Adami. Luc. 3: 23--38.*
6. Magorum adventus, Christi in Ægyptum fuga & reditus. *Matth. 2: 1--f.*
7. Christi educatio & profectus in sapientia, anno 12. ætatis in Templo palam demonstratus. *Luc. 2: 39--52.*

II. Primordia ministerii Christi usque ad Pascha I.

II. *Primordia ministerii Christi, inde à baptismo ad primum usque pascha, mensum circiter sex intervallo.*

Ubi est

1. Ministerium Johannis, ad pœnitentiam invitantis & baptizantis. *Matth. 3: 1-13. Marc. 1: 1-9. Luc. 3: 1-18.*
2. Christi baptismus. *Matth. 3: 13-f. Marc. 1: 9-12. Luc. 3: 21, 22.*
3. Præparatio ad ministerium per tentationem in deserto. *Matth. 4: 1--12. Marc. 1: 12, 13. Luc. 4: 1--14.*
4. Johannis de Christo testimonium. *Matth. 3: 11. Marc. 1: 7. Luc. 3: 16. Joh. 1: 15--37.*
5. Præconii Christi primordium in Galilæa. *Matth. 4: 17. Marc. 1: 14, 15. Luc. 4: 15. Sc.*
6. Vocatio discipulorum. *Matth. 4: 18-23. Marc. 1: 16-22. Luc. 5--22. Joh. 1: 37--52.*
7. Miraculum primum Canæ Galilææ in nuptiis patris. *Joh. 2: 1--13.*

III. Hi

- III. *Historia Paschatis primi, seu anni primi post dimidium initialem. Ubi est* Harmonia Evangelica.
- a. Iter ex Galilæa in Judæam, & quæ ibi, ac in reditu gesta sunt. Ubi sunt
 - a. Ascensus Christi Hierosolymam ad Pascha, purgatio Templi, & miracula satis multa. *Joh. 2: 13-f.*
 - b. Colloquium cum Nicodemo. *Joh. 3: 1-22;*
 - c. Mora in Judæa, ubi baptizat per discipulos. *Joh. 2: 22-26.*
 - d. Johannis ultimum de Christo testimonium apud discipulos æmulantes editum. *Joh. 2: 26-36.*
 - e. Johannis captivitas, quâ auditâ Jesus relicta Judæa in Galilæam redit. *Matth. 14: 3. 4. Marc. 6: 17-20.*
 - f. Christi in Galilæam tendentis, & Samaritanam trans-euntis colloquium cum muliere Samaritana. *Joh. 4: 1-30. nec non cum discipulis de cibo suo, & messe Evangelii. v. 31-38. credentibus in eum Samaritanis pluribus. v. 39-43.*
 - a. Reditus in Galilæam. *Marc. 1: 14. 15. Luc. 4: 14. 15. Joh. 4: 45.* & quæ ibi gesta. Ubi sunt
 - a. Præconium Regni Cælorum, *Marc. 1: 14. 15.*
 - b. Sanatio filii Regii. *Joh. 4: 46-54.*
 - c. Adventus in Nazareth, ubi Prophetam Esajam exponens primò recipitur, mox ejectus Synagogâ discedit. *Luc. 4: 16-30.*
 - d. Commoratio ejus in Capernaum, ubi docet Sabbathis. *Matth. 4: 13-18. Marc. 1: 21. 22. Luc. 4: 31. 32.* Spiritum immundum ejicit. *Marc. 1: 23-28. Luc. 4: 33-37.* Socrum Simonis sanat, *Matth. 8: 14. 15. Marc. 1: 29-32. Luc. 4: 38. 39.* allatos ægrotos curat. *Matth. 8: 16. 17. Marc. 1: 32-35. Luc. 4: 40. 41.*
 - e. Obambulatio per urbes Galilææ, ubi in Synagogis docet, & dæmonia ejicit. *Marc. 1: 39. Luc. 4: 44.* ex navi Simonis turbam docet. *Luc. 5: 1-4.* miraculosam jubet capturam piscium, Simonem Petrum, Jacobum, Andream, &c. piscatores hominum facit, passim in Synagogis docet. *Matth. 4: 18-26. Marc. 1: 16-20. Luc. 5: 1-12.* leprosum in quadam urbe sanat, confluentibus ad eum undique pluribus. *Matth. 8: 1-4. Marc. 1: 40-45. Luc. 5: 12-16.* Capernaumi docens Paralytico peccata remittit. *Matth. 9: 1-8. Marc. 2: 1-12. Luc. 5: 17-26.* apud mare turbam docet, Levin seu Matthæum vocat. *Matth. 9: 9. Marc. 2: 13. 14. Luc. 5: 27. 28.* in ejusdem domo se & Publicanos convivantes defendit, non jejunantes vindicat. *Matth. 9: 10-13. Marc. 2: 15-22. Luc. 5: 29-39.* Sabbatho *δευτερονόμιον* transiens per sata discipulos spicas vellentes defendit. *Matth. 12: 1-8. Marc. 2: 23-28. Luc. 6: 1-5.*
- IV. *Historia Paschatis secundi, seu anni secundi, post dimidium initialem. Ubi est* III. Historia Paschatis primi,
- a. Ascen- IV. Historia Paschatis secundi

*Harmo-
nia E-
vange-
lica.*

1. Ascensus Christi Hierosolymam, ubi 38. annos ægrum ad piscinam Bethesda sanat, & se, quod Deum dixisset Patrem suum, accuratè tuetur, *Joh. 5: 1--47.* in Synagoga alio Sabbatho docet, & dextram aridam sanat. *Matth. 12: 9--14. Marc. 3: 1--16. Luc. 6: 6--11.*
2. Secessus ad mare, ob insidias, ubi turbas sanat, *Matth. 12: 15--21. Marc. 3: 7--12.* in montem secedens orat, coram discipulis & turba divinissimam concionem in eodem monte habet, *Matth. capp. 5. 6. 7. Marc. 3: 13--22. Luc. 6: 12--49.*
3. Obambulat per varia loca. ubi
 - a. Capernaumi centurionis servum sanat, *Matth. 8: 5--13. Luc. 7: 1--10.*
 - b. In Nain viduæ unigenitum resuscitat, *Luc. 7: 11--17.*
 - c. Discipulis à Johanne missis respondet, & Johannem commendans, ingratas urbes increpat. *Matth. 11: 2--30. Luc. 7: 18--35.*
 - d. In Simonis domo mulierem pedes ejus lachrymis rigantem defendit, *Luc. 7: 36--58.*
 - e. Dæmoniacum sanans, se contra blasphemantes, quod per Beelzebubem dæmonia ejiceret, defendit. *Matth. 12: 22--37. Marc. 3: 22--30.* signum petentibus negat, *Matth. 12: 38--45.* mater, frater, soror quæ sit, ostendit, *ib. 46--50. Marc. 3: 31 35. Luc. 8: 19--22.*
 - f. In mari ex navigio parabolam feminantis plurisque alias docet. *Matth. 13: 1--53. Marc. 4: 1--34. Luc. 8: 4--18.* in ulteriorem ripam transiens tranquillat mare, objurgat ventos, *Matth. 8: 18--27. Marc. 4: 35--41. Luc. 8: 22--25.*
 - g. Apud Gadarenos dæmonia ejicit, in porcos intrare sinit, ac inde Capernaum redit. *Matth. 8: 28--34. Marc. 5: 1--20. Luc. 8: 26--39.*
 - h. Apud mare cùm esset, discipulis Johannis de jejuniis respondet, filium Jairi resuscitat, hæmorrhousam sanat, *Matth. 9: 14--26. Marc. 5: 21--43. Luc. 8: 4--56.*
 - i. Inde secedens cæcis oculos aperit, dæmoniacum restituit. *Matth. 9: 27--34.*
 - k. Urbes omnes obiens, docens, sanans, redit in patriam, ibi iterum, ceu faber, contemnitur, *Matth. 9: 35. & 13: 54--58. Marc. 6: 1--6.*
 - l. Commiseratus turbam, messem multam & operarios paucos, duodecim Apostolos cum mandatis ablegat, *Matth. 9: 35--38. & 10: 1--42. Marc. 6: 7--11. Luc. 9: 1--5.* qui, obeuntes singulos vicos, prædicant, sanant. *Marc. 6: 12--16. Luc. 9: 6.*
 - m. Johanne Baptista decollato, *Matth. 14: 6--12. Marc. 6: 17--29.* Herodes aliique varias de Christo opiniones concipiunt, *Matth. 14: 1--4. Marc. 9: 7--16.*
 - n. Apostolis ex Legatione prima reversis, *Marc. 6: 30. Luc. 9: 10.* Christus morte Johannis, & discipulorum factis auditis, in desertum urbis Bethsaida cum discipulis abit, sequentibus eum turbis. unde in montem subiens, 5. panibus, & 2. pisciculis 5000. homines pa-

scit:

scit; & volentibus eum Regem facere, discipulos intrare navim, & præire in ripam alteram, Capernaum versus, jubens, noctu super mare ambulat; in Gennésareth venit, ubi mox ægri allati curantur. *Matth. 14: 13-14. Marc. 6: 31-56. Luc. 9: 10-17. Joh. 6: 1-22.*

o. Capernaumi in Synagoga concionatur de pane vitæ, & se panem vitæ esse asserit. *Joh. 6: 22-71.*

V. *Historia Paschatis tertii, (Joh. 6: 4.) seu anni tertii post dimidium initialem. Ubi Christus*

V. *Historia Paschatis tertii*

1. Pharisæos discipulis, quod pollutis manibus comedant, exprobrantes, aboliti traditionum prætextu Divini mandati convincit. *Matth. 15: 1-20. Marc. 7: 1-23.*

2. In confinia Tyri & Sidonis secedit, ibidemque Syrophœnissæ filiulam à dæmonio liberat. *Matth. 15: 21-28. Marc. 7: 24-30.*

3. Ad mare Galilææ veniens surdum restituit. *Marc. 7: 31-37. in montem ascendit, plures sanat. Matth. 15: 29-32. in deserto turbam pascit. Matth. 15: 32-38. Marc. 8: 1-9.*

4. In partes Dalmanutha, seu partes Magdala veniens, Pharisæis signum petentibus negat, nisi illud Jonæ, *Matth. 16: 1-4. Marc. 8: 11-14. & in ulteriorem ripam abiens à fermento Pharisæorum dehortatur. Matth. 16: 5-12. Marc. 8: 14-21.*

5. Bethsaidæ cœcum sanat. *Marc. 8: 22-26.*

6. In vicis Cæsareæ Philippi confessionem Petri audit, mortem suam prædicit &c. *Matth. 16: 13-28. Marc. 8: 27-38. Luc. 6: 18-27. post dies 8. in monte sublimi transfiguratur; & sequenti die è monte descendens filium Lunaticum à dæmonio liberatum Patri restituit. Matth. 17: 1-22. Marc. 9: 1-29. Luc. 6: 28-43.*

7. Iter inde faciens per Galilæam discipulos docet de morte & resurrectione. *Matth. 17: 22, 23. Marc. 9: 30-33. Luc. 6: 43-46.*

8. Capernaum veniens tributum pro se & Petro solvi jubet. *Matth. 17: 24-27. litem inter discipulos de primatu obortam decidit. Matth. 18: 1-35. Marc. 9: 33-37. Luc. 6: 46-50.*

9. Ascendit Hierosolymam occultè ad festum tabernaculorum, *Joh. 7: 1-10. mittens ante se nuntios, qui progressi in vicum Samaritanorum; recepti non sunt, Luc. 6: 51-56. & discipulos 70. ante faciem suam, binos in omnem urbem & locum ablegans, Luc. 10: 1-16. turba querente eum in Templo docet, Joh. 7: 11-53. profectus mox in montem olearum, diluculo iterum in Templo docet, mulierem adulteram damnare decrevit &c. Joh. 8: 1-59. cœcum natum sanat, Joh. 9: 1-41. concionatur de se ostio ovilis, Pastore &c, Joh. 10: 1-21. discipulos reverlos excipit, Legisperitum de vita æterna inisruit, in domo Marthæ divertit, Luc. 10: 17-42. orare docet, dæmonium ejicit, &c. Luc. 11: 1-f. à fermento Pharisæorum dehortatur, &c. Luc. 12: 1-f. de Galilæis*

Harmo-
nia E-
van-
gelica.

à Pilato malè habitis accepto nuntio, ad respiscentiã hortatur &c. *Luc. 13: 1--22.*

10. Peragratis urbibus & vicis denuo Hierosolymam ascendit ad Enccenia, ubi respondet quærenti, an pauci salventur? *Luc. 13: 22--f.* hydropicum Sabbatho sanat, parabolam proponit de magna cœna, homine turrim ædificaturo, *Luc. 14: 1--f.* de ove perditâ, drachma, filio prodigo, *Luc. 15: 1--f.* de dispensatore dissipante &c. *Luc. 16: 1--f.* contra offendicula, de vi fidei differit &c. *Luc. 17: 1--f.* exemplo viduæ orare jugiter docet, *Luc. 18: 1--15.* Hierosolymæ in Enccenis se & Patrem unum esse docet, *Joh. 10: 22--39.* in trajectum Jordanis abiens docet & sanat, *Matth. 19: 1. 2. Marc. 10: 1. Joh. 10: 40--43.* Pharisæis de divortio respondet, *Matth. 19: 3--12. Marc. 10: 2--12.* infantibus manus imponit, divitem superbum tentat, *Matth. 19: 13--f. & cap. 20: 1--16. Marc. 10: 13--31. Luc. 18: 15--30.*

11. Bethaniæ Lazarum resuscitat, *Joh. 11: 1--54.*

12. Inde in urbem Ephraim abit, ibidemque habitat. *ibid.*

13. Ascendens Hierosolymam ad Pascha, mortem discipulis prædicit, *Matth. 20: 17--20. Marc. 10: 32--35. Luc. 18: 31--34.* filios Zebedæi de vero primatu instruit, *Matth. 20: 20--28. Marc. 10: 35--45.* Zachæum convertit, *Luc. 19: 1--10.* duos cæcos sanat, *Matth. 20: 29--34. Marc. 10: 46--52.* parabolam narrat de homine nobili peregrè profecto, *Luc. 19: 11--27.* Bethaniæ cum Lazaro discumbit, *Joh. 12: 1--11.* pullo ad montem olearum accersito vehitur Hierosolymam, urbe visâ flet, ementes & vendentes Templo profligat, cæcos, claudos sanat, Græcis de passione sua concionatur, in Bethaniam cum duodecim suis secedit, ubi cives in eum non credunt, inde discedens ficui imprecatur, iterum vendentes ex Templo ejicit, *Matth. 21: 1--46. Marc. 11: 1--33. Luc. 19: 28--f. Joh. 12: 11--48.* Sacerdotibus de autoritate sua respondet *Luc. 10: 1--8.* parabolam vineæ agricolis elocatae narrat, *Marc. 12: 1--12. Luc. 20: 9--19.* parabolam nuptiarum edisserit, Herodianis de censu, Sadducæis de resurrectione, Pharisæo de mandato magno respondet, *Matth. 22: 1--f. Marc. 12: 1--38. Luc. 20: 9--45.* Scribis, Pharisæis væ & urbi excidium denuntiat, *Matth. 23: 1--39. Marc. 12: 38--41. Luc. 20: 45--f.* viduæ eleemosynam prædicat, *Marc. 12: 41--44. Luc. 21: 1--5.* egressus è Templo Hierosolymæ ruinam prædicit, *Matth. 24: 1--51. Marc. 13: 1--37. Luc. 21: 5--36.* parabolam 10. Virginum, talentorum narrat, *Matth. 25: 1--f.* prodicionem, crucifixionem suam prædicit, Bethaniæ in domo Simonis leprosi mulierem ungentem defendit, Sathana mox in Judam intrante, *Matth. 26: 1--17. Marc. 14: 1--12. Luc. 22: 1--13.*

VI.
Historia
Pascha-
tis
quarti.

VI. *Historia Paschatis quarti & ultimi σωτηριου.*
Ubi est

I. Historia passionis. Ubi

a. Antecedentia, Paschatis celebratio, Cœnæ institutio

tid, *Matth.* 26: 17-29. *Marc.* 14: 12-25. *Luc.* 22: 14-19. *Harmonia* pedum discipulorum lotio, Judæ offa acceptâ exitus, *nia E-Luc.* 22: 31-38. *Joh.* 13: 1-f. Solatium discipulis contra *vange-* ræorem impertitum, aliâque, & post hymnum can- *lica.* titum discessus, *Marc.* 14: 30. *Luc.* 22: 26. *Joh.* 14: 1-31. inter eundem recitata similitudo vitis & palmitum, aliâque *Joh.* 15: 1-27. contra tristitiam promissio- nes variæ, *Joh.* 16: 1-f. Oratio Divinissima pro gloriæ revelatione, Apostolis, credentibus, *Joh.* 17: 1-f.

b. Passio ipsa. ubi est

1. *a.* Anxietas, quam subiit in horto Gethsemane, *Matth.* 26: 35-47. *Marc.* 14: 27-32. *Luc.* 22: 39-47. *Joh.* 18: 1.
2. *b.* Captivitas, proditore Juda. ubi à monte olivarum progrediens captus vincitur, ad domum Cajaphæ mittitur. *Matth.* 26: 47-57. *Marc.* 14: 43-53. *Luc.* 22: 47-54. *Joh.* 18: 2-12.
3. *c.* Accusatio, damnatio & illusio in domo Cajaphæ. ubi etiam est abnegatio Petri. *Matth.* 26: 57-f. *Marc.* 14: 53-72. *Luc.* 22: 54-66. *Joh.* 18: 12-28.
4. *d.* Ea, quæ passus est in Concilio matutino. ubi rogatus, an esset Messias, respondet & vincitur ad Pontium Pilatum mittitur, Juda interim poenitentia ducto, & manus sibi consciscente, *Matth.* 27: 1-11. *Marc.* 15: 1. *Luc.* 22: 66-f. & 23: 1. *Joh.* 18: 28.
5. *e.* Ea, quæ perpeffus est primò in ædibus Pontii Pilati; ubi tum falsæ doctrinæ, tum tributi negati- tum affectati regni accusatur; tum in ædibus He- rodis tetrarchæ Galilææ. *Matth.* 27: 2-11. *Marc.* 15: 1-6. *Luc.* 23: 1-13. *Joh.* 18: 28-33.
6. *f.* Ea, quæ reductus in ædes Pilati passus est: ubi sunt accusatio repetita, denudatio, flagellatio, co- ronatio, illusio, condemnatio ad mortem crucis. *Matth.* 27: 11-31. *Marc.* 15: 6-20. *Luc.* 23: 13-26. *Joh.* 18: 33-f. & *cap.* 19: 1-16.
7. *g.* Ea, quæ passus est, cum è domo Pilati ad locum supplicii raperetur. *Matth.* 27: 31-38. *Marc.* 15: 20-25. *Luc.* 23: 26-33. *Joh.* 19: 16-18.
8. *h.* Crucifixio in monte calvarie, mors, & signa eam comitantia ac consequentia. *Matth.* 27: 38-57. *Marc.* 15: 25-42. *Luc.* 23: 33-50. *Joh.* 19: 18-38.
9. *i.* Historia sepulcræ, & custodiæ corporis Christi. *Matth.* 27: 57-66. *Marc.* 15: 42-47. *Luc.* 23: 50-56. *Joh.* 19: 38-42.
10. *j.* Historia resurrectionis Christi ex mortuis. *Matth.* 28: 1. *Marc.* 16: 1. *Luc.* 24: 1. *Joh.* 20: 1.
11. *k.* Resurrectionis confirmatio per testes & apparitiones.

Vide

a. Testes

a. Cœlestes, Angelos duos. *Matth.* 28: 2-6. *Luc.* 24: 4. 5. 6. *Joh.* 20: 12.

b. Terrestres. Sûntque Maria Magdalena, Maria Ja-

Harmonia Evangelicæ.

cobi & Ioseph, Maria Salome, Johanna, aliâque *αἰνώσαντες*: Petrus & Johannes, & milites ipsi, custodes corporis Christi. *Matth. 28: 1-9. Marc. 16: 1-9. Luc. 24: 1-8. Joh. 20: 1-11.*

- b. Apparitiones Christi novem numero factas, scilicet
- α. Mariæ Magdalenæ. *Matth. 28: 9. 10. Marc. 16: 9. Joh. 20: 11. &c.*
 - β. Duobus discipulis Emauntem euntibus. *Marc. 16: 12. Luc. 24: 13-33.*
 - γ. Petro. *Luc. 24: 34.*
 - δ. Jacobo. *1. Cor. 15: 7.*
 - ε. Apostolis, Thoma absente, Hierosolymæ. *Luc. 24: 35-49.*
 - ζ. Apostolis, Thoma præsentem, etiam Hierosolymæ. *Joh. 20: 19-30.*
 - η. Apostolis in Galilæa.
 - κ. Ad mare Tiberiadis. *Joh. 21: 1-14.*
 - λ. In monte, forte Thabor. *Matth. 28: 16-20. Marc. 16: 14-20.*
 - θ. Apostolis, cum ascenderet.
5. Historia ascensionis in Cælum, ex Bethania. *Marc. 16: 19. Luc. 24: 50. 51.*

TABULA SYNOPTICA HARMONIÆ EVANGELICÆ.

Partes sunt sex.

- I. Historia antecedens, ministerium Christi, ubi
 1. *Descriptio personæ & officii Christi.*
 2. *Conceptio Jobannis & Christi.*
 3. *Nativitas Jobannis.*
 4. *Nativitas Jesu Christi.*
 5. *Genealogia Christi.*
 6. *Magorum adventus, fuga, reditus Christi.*
 7. *Christi educatio & profectus.*
- II. Primordia ministerii Christi, inde à Baptismo ad primum usque Pascha, ubi
 1. *Ministerium Jobannis.*
 2. *Christi baptisnus.*
 3. *Præparatio ad ministerium per tentationem.*
 4. *Jobannis de Christo testimonium.*
 5. *Præconii Christi initium in Galilæa.*
 6. *Vocatio discipulorum.*
 7. *Miraculum primum Cane in Galilæa patratum.*
- III. Historia Paschatis, seu anni post dimidium initialem primi, ubi
 1. *Iter ex Galilæa in Judeam, & quæ ibi gesta plura.*
 2. *Re-*

2. *Reditus ex Judea in Galileam, & quæ ibi gesta* Harmonia Evangelica.
plura.

IV. *Historia Paschatis secundi, ubi*

1. *Ascensus Hierosolymam, & ibidem gesta.*
2. *Siccessus ad mare ob infidias.*
3. *Obambulatio per varia loca, & quæ in iisdem Christus docuit fecitque.*

V. *Historia Paschatis tertii, ubi*

1. *Traditionum increpatio.*
2. *Siccessus in confinia Tyri & Sidonis.*
3. *Ad mare Galilææ.*
4. *In partes Dalmanutha.*
5. *Bethsaidam.*
6. *In vicos Casaræ & Philippi.*
7. *Obambulatio per Galileam.*
8. *Capernaum.*
9. *Hierosolymas ad festum tabernaculorum.*
10. *Eodem ad Encœnia.*
11. *Bethaniam.*
12. *In urbem Ephraim.*
13. *Hierosolymas ad Pascha, & quæ in his locis variè docuit fecitque.*

VI. *Historia Paschatis quarti, emortualis, ubi*

1. *Historia Passionis.*
2. *Sepulturæ.*
3. *Resurrectionis.*
4. *Apparitionum.*
5. *Ascensionis in Cœlum.*

Interpretes Harmoniæ Evangelicæ.

S. PATRES. Ammonius Alexandrinus, Augustinus, Epiphanius, Eusebius, Tatianus.

REFORMATI. Calvinus, Copius, Christianus Meuschius, Seelmatterus, Stephanus, Vossius, Sax, Gùrtlerus. *Angli.* Cartwrightus, Lighthfootus, Richardsonus, Usserius.

AUGUSTANI. Althoferus, Calixtus, Chemnitius, Crellius, Gerhardus, Mercator, Oenopola, Osiander, (Andreas) Rupertus, Selneckerus.

PONTIFICII. Barradius, Beaux-amis, Buifonius, Crommius, Gerson, Haræus, Haye, Jansenius, Lombardus, Meschinus, Perpiniano, Regius, Rubus.

*Acta
Aposto-
lorum.*

CAPUT VII.

DE

Actis Apostolorum.

BREVIARIUM.

Inscriptio. 1. S. Apostolorum, precipuè tamen Petri & Pauli, quorum sectator Lucas fuit, acta hoc libro continentur. 2. Scriptor libri Lucas fuit. 3. Incertum, ànne jussu Pauli scripserit. Scopus libri. 4. Argumentum ejusdem. Evangelii quedam pars est. 5. Linguâ Græcâ scriptus est. Quo etatis Lucæ anno, incertum. Historiam continet viginti octo annorum, à decimo septimo exeunte Tiberii, ad quartum usque Neronis. 6. Partes libri duæ sunt. I. Historia Apostolorum communis, Evangelium inter Judæos intra Judæam & extra eam prædicantium. (cap. 1--13.) II. Prædicatio Evangelii, S. Pauli ministerio facta, non inter Judæos duntaxat, sed gentes etiam, Romam usque. (cap. 13--f.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Libri. 7.

*Inscri- I. Nscribitur hic Liber πράξις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων.
ptio. Acta, vel Gesta Sanctorum Apostolorum. Gra-
cam vocem πράξις retinent Syrus & Arabs.
Et perinde est, sive acta, sive actus vocentur. Cum
etiam Cicero, quæ quis gessit, promiscuè acta &
actus insigniat.*

*II. Sanctorum Apostolorum Acta vocantur. Præcipuè tamen S. Petri & Pauli, quos potissimum sectatus Lucas, scriptor libri, putatur. S. Johannis cap. III. Jacobi cap. I. & XII. parca admodum; reliquorum verò nulla in hoc libro expressa mentio occurrit. Post dispersionem nempe Apostolorum
Lucas*

Lucas singulorum Apostolorum peculiare actus neque ipse compertos habuit, neque Spiritu S. ^{Acta Apostolorum.} extra ordinem non revelante, cognoscere potuit. Neque tamen nulla sunt, quæ Apostolos omnes concernant. Puta imprimis doctrina communis, electio Matthiæ in locum Judæ per communes preces, sortisque jactas, effusio Spiritus S. in omnes, signa & miracula communia, Synodus denique præsentibus omnibus celebrata. Ut merito *Acta S. Apostolorum* omnium insigniantur.

III. Authorem libri esse Lucam Evangelistam, eundem scilicet, qui Evangelium quoque scripsit, inter omnes ferè hodie convenit. Licet suo tempore à nonnullis dubitatum esse, S. Chryostomus memoret. Eundem certè esse Evangelii & Acto-
rum authorem, claro indicio scriptor hujus libri prodidit, initiò sic scribens: *Superiore volumine diximus, ó Theophile, de omnibus, quæ capit Jesus tum facere, tum docere, ad eum usque diem, quo sursum adsumptus est, Act. I. 1.* Qui igitur ad Theophilum de doctrina & gestis Christi scripsit, idem S. Apostolorum actus consignavit. At illud Lucam fecisse, Evangelii ejus principium indicat. De Luca verò supra plura diximus. Sic autem S. Hieronymus ob authorem hunc librum commendat: *Acta Apostolorum nudam quidem videntur sonare historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere. Sed si noverimus, scriptorem eorum esse Lucam medicum, cujus laus in Evangelio fuit, animadvertemus pariter, omnia verba illius animæ languentis medicinam esse.*

IV. Scripseritne S. Lucas Acta rogatu S. Pauli, utpote cujus *συβένδρη*, 2. Cor. VIII. 19. Coloss. IV. 14. Philem. 24. adeoque *ἀδίασπας* comes, & factorum dictorumque *ἀντίπρῆτος* & *ἀντίμα* adeò testis fuerit, uti Hieronymus, Nicephorus, alique veteres affirmant, in medio relinquimus. Id certum est, voluisse ipsum Ecclesiæ Christianæ origines describere, & docere, ipso eventu Christum Servatorem verè ex mortuis resuscitatum, & ad dextram Dei collocatum, effuso Spiritu S. super Apostolos, horum ministerio regnum spirituale

Author.

An Pauli iussu?

Scopus libri.

Acta Apostolorum. toto orbe inchoasse, & Ecclesiam ex Judæis & gentibus collegisse.

Argumentum. V. Tradit nempe liber hic Ecclesiæ N. T. seu legis ex Sione egredientis, Esaj. II. 3. exordium & incrementa inter Judæos, ejusdem dilatationem ac propagationem inter gentes, maximè versus Occidentem, seu insulas maris, Romam usque, metropolin totius orbis, in qua tanquam magno & edito monte primitus Deus Ecclesiam manifestare & exercere voluit, diversas S. Pauli, qui ceu strenuus dux per omnes terras mariæque volitavit, usque ad postremum iter Hierosolymitanum peregrinationes, denique ejusdem afflictiones & pericula, quæ ei tum in Judæa, Hierosolymæ ac Cæsareæ, tum in itinere Romam versus, terra marique, tum denique in ipsa urbe Romana evenerunt. Proin historia hæc quædam Evangelii pars, eaque non minima est. Illic describitur granum frumenti solo conditum, hic describitur enatum, ac suas paulatim aperiens ac proferens opes. Quòd si per Lucam non cognovissemus, quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis advenerit promissus Spiritus S. quibus initiis cœperit Ecclesia, quibus modis polluerit, quibus rationibus creverit, certè bonam Evangelii partem ignoraremus.

Idioma. VI. Linguâ scriptus liber est Græcâ haud dubiè, quâ hodièque extat. Quod ipsum Theophili, cui *Tempus* inscriptus est, nomen Græcanicum arguit. Quo verò ætatis anno Lucas conscripserit, incertum est. Ipsa verò historia tot annorum est, quot liber ipse capitum, viginti & octo, ita ut ab ascensione Christi, quæ in annum nativitatis ejus trigesimum quartum incidit, ad sexagesimum usque à nato Christo annum excurrat. Quòd sic paucis demonstramus. Passum esse Christum anno Tiberii 18. Olympiadis 102. anno 3. post Eusebium, Epiphanium, Hieronymum, alios, etiam Baronius, & ex nostratibus Lighthfootus asserunt. Petavius tamen *de Doctr. Temp. lib. XII. 19.* ad annum Tiberii decimum septimum exeuntem referendum esse

esse demonstravit. Imperavit autem Tiberius *Acta Apostolorum.* annos XXIII. adeoque post ascensionem Christi, annos sex: Caligula quatuor: Claudius quatuordecim. Secundo Neronis anno, Paulus à Festo vinc-tus Romam mittitur, atque ibidem *διετίαν ὀλην* *integrum biennium*, Act. XXIII. 30. (in quo Acto-rum historia desinit) commoratur. Ex annis igitur sex Tiberii, quatuor Caligulæ, quatuordecim Claudii, & quatuor Neronis summa annorum viginti octo liquidò conficitur.

VII. Duo summa libri hujus capita sunt. *Primò* Partes. enim pertexitur Historia Apostolorum commu-nis, Evangelium inter Judæos, intra terram san-ctam, & extra eam prædicantium, cap. I--XIII. *Secundò* Historia Apostolorum, Pauli inprimis, passim, non tantum inter Judæos, sed etiam inter gentes, Romam usque, Evangelium prædican-tium, traditur, cap. XIII--f.

- I. *Historia Apostolorum communis, Evangelium inter Judæos, intra terram sanctam, & extra eam prædicantium.* Cap. I--XXIII. Narrantur hic *I. Historia Apostolorum communis. Cap. 1.*
1. Prædicatio Evangelii intra Judæam. cap. 1--8. Ubi videnda
 - a. Post præfationem (3.) Christi in Cælum ascensus, spectantibus Apostolis, (11.) qui ex monte olearum Hierosolymam reversi, Petri hortatu, (22.) in Judæ proditoris locum, ad munus Apostolicum Matthiam forte ducunt. (26.) cap. 1.
 - b. Spiritus S. tempore Pentecostes descensus in Apo-stolos, quo mox factum, ut diversis linguis magnalia Dei eloquerentur, (3.) stupentibus Hierosolymæ piis, (12.) aliis verò miraculum illud profanè irridentibus, (13.) quos gravissima concione Petrus refellit, (36.) quæ tria millia subitò ad Christum convertuntur & baptizantur, (41.) & Apostolis perseverantibus fide-les unà cum iis magnâ concordia Deum celebrant. (47.) cap. 2.
 - c. Claudus virtute Christi à S. Petro & Johanne restitu-tus. (10.) Unde concursu populi ad eos facto, Petrus ad plebem concionatur, Judæis perfidiam exprobrat, & magnum Prophetam commendat. (26.) cap. 3.
 - d. Petri & Johannis, ob miraculum & concionem, quæ eum fructum habuit, ut quinque millia hominum Christo lucrifierent, captivitas, (4.) quibus cum in Synedrio, in quo causam Christi Salvatoris unici in-trepide agunt, interdiceretur, ne in nomine Jesu post-

Acta
Apostolorum.

hac loquerentur, parere illi renuunt, & cum comminationibus demissi, (22.) unà cum tota Ecclesia Deo profectu Ecclesiæ fervido animi affectu gratias agunt, & fortè contra minas animum implorant, (30.) Deo facto terræ motu, & Spiritus sui in corda eorum missione preces probante, (31.) & fidelium, inter se pacem, concordiam, charitatem summam colentium, & in commune omnia, Barnaba maxime, conferentium, numero mirè augefcente. (37.) cap. 4.

Cap. 5.

e. Ananiæ, Sapphiræ partem pretii agri à se divenditi intervertentium pœna Θεῖλατθ, (11.) magnâque indes per manus Apostolorum edita miracula, (16.) unde invidiâ ardentes Sacerdotes eos in carcerem trudent, ex quo liberati ab Angelo jubentur intrepidè in Templo docere populum, (20.) cui obsequentes ad Synedrium adducti, Gamalielis consilio, postquam flagris cœsi fuissent, ovantes dimittuntur. (42.) cap. 5.

6.

f. Electio septem diaconorum, (6.) quorum primipilus Stephanus adversus contradicentes Judæos disputat, blasphemiæ dein apud Synedrium insinulatus, compositis adversus ipsum falsis testibus, (15.) cap. 6.

7.

g. Stephani vehemens & acris oratio in Synedrio habita, quo Judæos Spiritui S. semper resistentes contempti Evangelii convincit, (53.) qui propterea extra urbem raptus, lapidibus obrutus, primus sub N. Test. sanguine suo doctrinam Christi obfignat. (60.) cap. 7.

8.

2. Prædicatio Evangelii, post dispersionem, extra Judæam. cap. 8. 9: 1--32. ubi sunt

a. Dispersio Ecclesiæ per Sauli persecutionem. cap. 8: 1--5.

b. Prædicatio Evangelii in Samaria per Philippum, quâ ex Samaritanis ad fidem convertuntur baptizanturque plurimi, ipse quoque Simon magus missis ad eosdem Hierosolymâ Petro & Johanne, qui in fide eos confirmarent, & manuum impositione dona Spiritus S. frustra etiam à Simone mago ambita, conferrent. (25.) cap. 8: 5--26.

e. Conversio Eunuchi, Candaces Æthiopum Reginae Dynastæ, ejusdem Philippi mox Azotum abrepti, Evangelium ibidem prædicantis, ministerio. (40.) cap. 8: 26--f.

9.

d. Sauli conversio, (18.) conversatio Damascena, ubi per muros dimissus persequentium manus evadit, (25.) Hierosolymæ fidelibus se associat, atque inde Tharsum mittitur, (30.) Ecclesia interim in Judæa, Samaria & Galilæa Halcyoniis fruente. (31.) cap. 9: 1--32.

10.

3. Petri ministerium

a. Lyddæ Æneam sanantis, (35.) & Joppæ Thobitam suscitantis. (42.) cap. 9: 32--f.

b. A Cornelio centurione Divino jussu Cæsaream evocati,

cati, (22.) ibidemque Cornelium cum tota familia, aliisque gentilibus, habita ad congregatos multos de Christo Salvatore unico, & salute omnium in eum credentium concione, (34.) & Spiritu in eosdem descendente, baptizantis. (48.) *cap. 10.* Acta Apostolorum.

c. Baptismum eum adversus Judæos murmuratores defendentis. (18.) *cap. 11: 1--19.*

4. Prædicatio disperforum in Cypro, Phœnicia & Antiochia, quò cum veniret Barnabas, & eodem Saulum adduceret, fidelibus ibidem *Christianorum* nomen primum impositum est, (26.) eodem Hierosolymâ etiam Prophetis venientibus, & inter eos Agabo famem sub Claudio futuram prædicente. (30.) *cap. 11: 19--f.* 11.

5. Persecutio Herodis, Jacobum interficientis, (2.) & Petrum in carcerem rapientis, qui noctu ab Angelo non sine miraculo liberatus, (11.) & in ædibus Mariæ, Rhode ancilla ejus præsentis indicium præbente, discipulis se sistens, (17.) ex Judæa Cæsaream migravit, (19.) Herode interim adversus Tyrios bellum moturo, ab Angelo percussus, (23.) Ecclesia crescente, & Barnaba ac Saulo collectâ Hierosolymam latâ redeuntibus. (25.) *cap. 12.* 12.

II. Prædicatio Evangelii S. Pauli inprimis ministerio facta, inter Judæos & Gentes promiscuè, Romanosque. II. Historia Pauli.
 Cap. XIII--f. Vide

1. S. Pauli itinera, Evangelium passim prædicantis. *cap. 13--21: 1--16.* Vide

a. Iter primum cum Barnaba, Spiritus S. jussu, Antiochiâ susceptum in 13.

α. *Cyprum*, ubi accersitus à Sergio Paulo Saulus Barjesum Elimam sibi adversantem subito excœcat, quo miraculo percussus Sergius convertitur. (12.) *Pamphiliam*, (13.) *Pisidiam*, in cujus urbe Antiochia Paulus Sabbatho ad Judæos concionatur de Christo resuscitato, (41.) & gentilibus eandem concionem proximo Sabbatho ad se quoque haberi cupientibus paret, ac Judæis indignantibus respondet, magno cum fructu, (49.) donec à Judæis expulsi, *Iconium* venirent. (52.) *cap. 13.*

β. *Iconio*, ubi, conversis pluribus, tumultus à Judæis excitatur, (5.) *Lycaoniam*, in cujus urbe *Lystra* Paulus & Barnabas, sanato claudo, adorati fuerant, nisi laceratis vestibus plebem cohibuissent, (18.) lapidato ibidem mox Judæorum instinctu Paulo, (20.) qui vivus cum Barnaba *Derbam* abit, multos ibi Christo lucratur, (23.) atque inde per *Pisidiam*, *Pamphiliam* & *Attaliam* revertitur *Antiochiam*, narrans ibi, quòd Deus etiam gentibus ostium fidei aperuerit, (28.) *cap. 14.* 14.

b. Iter secundum cum eodem Barnaba susceptum *Hierosolymam*, ubi quæstio de circumcissione gentibus non imponenda; Petro de conversione gentium, (11.) 15.

(11.) Paulo & Barnaba de miraculis Dei inter gentes patrat, (12.) orantibus, à Jacobo concluditur, onus scilicet, paucis exceptis, iis imponendum nullum esse, (21.) Apostolis, Senioribus & Ecclesia decretum de eo per Paulum, Barnabam, iisque adjunctos Judam & Silam, Antiochiam mittentibus, (29.) qui Antiochiæ benigne excipiuntur, Sila ibidem manente. (35.)
cap. 15: 1--36.

e. Iter tertium cum Sila. cap. 15: 36-18: 1-22. ubi Paulus
α. A Barnaba ob Marcum, quem hic comitem petiit, fecedens, cum Sila Syriam & Ciliciam ambit.
cap. 15: 36--f.

Cap. 16.

β. Derbam, Lystram, ubi Timotheum comitem ascitum circumcidit, (5.) inde per Phrygiam & Galatiam, impeditus cum comitibus, ne Asiam, Mysiam, Bithyniam ingrederetur, (7.) Troadem venit, (9.) unde in visione à viro Macedonico invitatus Macedoniam abit, (12.) ubi Philippis Lydia convertitur. (15.) spiritus Pythonis ex puella expellitur, (18.) Paulus & Barnabas in carcerem compinguntur, Deum celebrant, (25.) & mox terræ motu carceris fores aperiuntur, (26.) commentariensis convertitur, (34.) ipsique tandem cum honore carcere solvuntur. (40.) cap. 16.

17.

γ. Per Amphipolin & Apolloniam venit Thessalonicam, ubi de Christo concionantes, ab incredulis Judæis excitato tumultu, & Jasone ad primores urbis pertracto, expulsi, (9.) veniunt Beream, cujus incolæ ob ingenuitatem laudati, (13.) Athenas, ubi cum Judæis in Synagoga, dein cum obviis quibusque è gentilibus in medio foro de Christo & contra idololatriam disputans, illuditur à nonnullis, aliis, & inter eos Dionysio Arcopagita, in Christum credentibus. (34.) cap. 17.

18.

δ. Corinthum, ubi, cum Aquila & Priscilla commoratus, concionatur & Judæis, quòd Jesus sit Christus, confirmans, cum non crederent, imprecatur, (6.) Crispum Archisynagogum cum tota ejus domo convertit, monitus Divinitus, ne timeat prædicare Evangelium (11.) Judæis eum apud Gallionem nequicquam accusantibus, (17.) Ephesum, (21.) Cesaream venit, & Antiochiam redit. (22.) cap. 18: 1--23.

d. Iter quartum, Antiochiâ Hierosolymam susceptum.
cap. 18: 23--f. 21--16. ubi Paulus

α. Galatim, Phrygiam perambulat, Apolline interim Ephesi potenter docente, & ab Aquila ac Priscilla in via Domini penitius instituto. cap. 18: 23--f.

19.

β. Ephesum venit, ubi, tum discipulis à Johanne baptizatis manus imponit, qui Spiritum S. accipiunt, (7.) tum cum Judæis colloquitur per tres menses, quibus recalcitrantibus discipulos ab illis separat, biennio in schola Tyranni docens, & miracula
fingu

singularia edens, (12.) exorcistis septem, filiis Scævæ, à dæmoniaco miserè habitis, & credentibus multis, magicòsque libros comburentibus, (20.) præmissò deinde Timotheo & Erasto, (22.) tumultus à Demetrio ob spretam Dianam suscitatur. (40.) cap. 19. Acta Apostolorum.

7. *Macedoniam* se confert, (1.) & in Græcia moratus tres menses per *Macedoniam* revertitur, (4.) *Troade* Eutychem resuscitat, (12.) *Assum*, *Mitylenem*, tandemque *Miletum* venit, (15.) eòque Presbyteros Ephesinos vocat, quos de suo Hierosolymam itinere edocet, & ad pascendum strenuè gregem gravissimè hortatur, (37.) non parùm ea oratione percussos, & ad navim eum comitantes. (38.) cap. 20. Cap. 20.

8. *Tyrum* venit, ubi repertis discipulis valedicit, (6.) hinc *Ptolemaidem*, (17.) *Cæsaream*, ubi ei ab Agabo cingente ipsum vincula prædicuntur, (14.) tandemque *Hierosolymam*. (15.) cap. 21: 1-16. 21.

2. S. Pauli vincula, post appellationem Cæsareà Romam abducti. cap. 21: 16--f. Vide

a. Occasionem vinculorum. Paulus nempe Hierosolymæ benevolè exceptus, Jacobi & Presbyterii totius consilio, ad diluendam calumniam, quasi defectio- nem à lege Mosis suaderet, quatuor viris votum Nazareatus facientibus se adjungit, & cum iis se purificat, (26.) & conspectus in Templo à Judæis Asiaticis incredulis, accusatusque, quòd Trophimo gentili in Templum introducto illud polluisset, tumultu oborto à tribuno ereptus, in vincula conjicitur, (33.) & in castra abductus, veniam dicendi petit impetratque. (40.) cap. 21: 16--f.

b. Orationem vinciti de gradibus castrorum ad tumultuantes, quâ vocationem suam narrat, (21.) quâ magis etiam exacerbantur Judæi, adeò ut Tribunus ipsum flagris destinaverit, (24.) abstinens tamen iis, intellecto, quòd civis Romanus esset, & solum vinculis Pontifici ac Synedrio sistens. (30.) cap. 22. 22.

c. Orationem ejusdem habitam in Synedrio, quâ de innocentia sua protestatur, (1.) ob quam Ananiæ jussu percussus, respondet objicientibus, quòd Pontifici maledixerit, (5.) oborto mox, cum Pharisæum se diceret, Pharisæos inter & Sadducæos dissidio, (9.) unde denuo à Tribuno tumultuantium manibus ereptus in castra abducitur, & Divinitus confirmatur, (11.) postmodum à conjunctis nonnullis zelotis ei insidiæ struerentur, & Tribuno indicarentur, à Tribuno Cæsaream ad Felicem Provinciæ Præsidem cum literis mittitur. (35.) cap. 23. 23.

d. Apologiam publicam coram Felice adversus accusationem Tertulli, criminantis, quòd orbem terrarum perturbet, & Templum polluere conatus sit, (20.) postquam re infecta, & causæ definitione in aliud 24.

*Acta
Aposto-
lorum.*

Cap. 25.

- aliud tempus dilata, Felix accusatores Pauli dimisit, & Paulum liberâ custodiâ servari iussit, sæpius in gratiam Drusillæ, & spe emungendi ejus ad se accersitum. (27.) *cap. 24.*
- c. Apologiam coram Portio Festo, qui post biennium Felici succedens, accusatores, rogantes, ut Hierosolymam Paulus adduceretur, in itinere scilicet ex infidiis interficiendus, Cæsaream venire iussit, ubi Paulus accusatoribus respondet, Hierosolymam venire renuit, & Cæsarem appellat. (12.) Interjectis aliquot diebus, cum junior Agrippa Rex, & soror ejus Bernice Cæsaream, salutaturi novum Provinciæ Præsidentem venissent, (23.) Festus animo pendens, quid de Paulo ad Cæsarem scriberet, Agrippæ ea de re consilium rogat. (27) *cap. 25.*
26. f. Apologiam coram Agrippa & Bernice, in qua se ob spem Israël judicari asserens, vocationem tuam ad Apostolatam & doctrinam de Christo, Prophetis & Mosi congruam receisset, (23.) quâ à Festo derisâ licet, commotus Agrippa adeo, ut pene Christianus fieret, censuit cum reliquo confessu, nihil morte ac vinculis dignum Paulum designasse, liberarique, nisi Cæsarem appellasset, potuisse. (32.) *cap. 26.*
27. g. Iter Pauli in Italiam. Is nempe
 a. Cum reliquis captivis traditus Centurioni Julio Legionis Augustæ, navi Adramytenæ Asiæ petenti impositus Myram Lyciæ vehitur, (5.) ubi eum invenisset centurio navem Alexandrinam, Italiam petentem, ei captivos imposuit. Inde solventes Lasæam veniunt, ubi, ut hiemarent, frustra Paulo consulente, centurio Phœnicem Cretæ portum decrevit petere, ut illic hiemarent. Cùmque illuc tenderent, aspirante primùm Noto, sed mox ortâ subitò procellâ gravissimâ, post multorum dierum jactationem periculossimam, huc & illuc per mare Adriaticum delati, jacturâ rerum omnium in mare factâ, tandem post miraculosam 15. dierum inediam in Melite insula navim fregerunt, atque Pauli consilio in terram omnes salvi & incolumes evaserunt. (44.) *cap. 27.*
28. g. Paulus in insula Melite viperâ manu in ignem sine damno excussâ, Deus putatur, (6.) & patrem Publii febri cum dysenteria conjuncta laborantem, aliósque ægros sanat. (10.) Inde tertio post mense navi alia Alexandrina cui insigne erat Castor & Pollux, Syracusas devecti, postea Rhegium, inde Puteolos, tandemque Romam veniunt, ubi Paulus à fratribus excipitur humanissimè, & à Præfecto Prætorii in libera custodia relinquitur. (16.) *cap. 28: 1--17.*
- h. Conversationem Romanam. Judæos enim, qui Romæ erant, compellens, iis causam vinculorum suorum exponit, (20.) & die constituta Christum prædicat,

dicat, (23.) nonnullis se ei adjungentibus, aliis ei *Acta*
obnitentibus. quibus relictis ad gentes se convertit, *Aposto-*
(29.) & per biennium in proprio manens *judæis* *lorum.*
cum milite ei ad custodiam dato, Regnum Dei, &
Christum magna libertate prædicat. (31.) cap. 28:
17--f.

TABULA SYNOPTICA ACTO- RUM APOSTOLORUM.

Partes.

- I. Prædicatio Evangelii per Apostolos inter Ju-
dæos, intra & extra Judæam, cap. I--XIII.
ubi
 - I. Prædicatio intra Judæam, c. 1--8. ubi
 - a. Christi ascensio in cœlum, electio *Matthiæ* in
locum *Judæ*, c. 1.
 - b. Effusio Spiritus S. in Apostolos, c. 2.
 - c. *Claudus sanatus*, & concio *Petri*, c. 3.
 - d. *Petri* & *Johannis* captivitas, liberatio, c. 4.
 - e. *Ananiæ* & *Sapphiræ* pœna, miracula *Apostolo-*
rum, captivitas, liberatio, c. 5.
 - f. Electio 7. *Diaconorum*, *Stephani* zelus, c. 6.
 - g. *Stephani* Martyrium, c. 7.
 2. Prædicatio extra Judæam, c. 8. 9: 1--32. ubi
 - a. *Dispersio*, c. 8: 1--5.
 - b. Prædicatio in *Samaria* per *Philippum*. *Simon*
magus, c. 8: 5--26.
 - c. *Conversio Eunuchi*, c. 8: 26--f.
 - d. *Saulis conversio*, c. 9: 1--32.
 3. *Petri ministerium*, c. 9: 32--11: 19.
 - a. *Æneam sanantis*, *Tabitham suscitantis*,
c. 9: 32--f.
 - b. *Cornelium aliosque baptizantis*, c. 10.
 - c. *Baptismum eum defendentis*, c. 11: 1--19.
 4. Prædicatio dispersorum in *Cypro*, *Phœnicia*,
Antiochia, *Christianorum nomen*, c. 11: 19--f.
 5. *Persecutio Herodis*, ejusque pœna, c. 12.
- II. Prædicatio Evangelii per Apostolos, Paulum
inprimis, inter Judæos & Gentes promiscuè,
cap. XIII--f. ubi
 - I. *S. Pauli itinera*, c. 13--21: 1--17. ubi
 - a. *Iter 1. cum Barnaba in*

*Acta
Aposto-
licorum.*

- a.* *Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Iconium,*
c. 13.
β. *Iconium, Lystram, Derbam, Attaliam,*
c. 14.
b. *Iter 2. cum eodem Hierosolymam ad Synodum,*
c. 15: 1--36.
c. *Iter 3. cum Sila in*
α. *Syriam, Ciliciam, c. 15: 36--f.*
β. *Derbam, Lystram, Macedoniam, c. 16.*
γ. *Amhipolim, Thessalonicam, Berceam,*
Athenas, c. 17.
δ. *Corinthum, Ephesum, Casaream, c. 18:*
1--23.
d. *Iter 4. in*
α. *Galatiam, Phrygiam, c. 18: 23--f.*
β. *Ephesum, c. 19.*
γ. *Macedoniam, Troadem, Miletum, c. 20.*
δ. *Tyrum, Casaream, Hierosolymam, c. 21:*
1--17.
2. *S. Pauli vincula, c. 21: 17--f. ubi*
a. *Occasio, introitus Templi ad purificandum se,*
c. 21: 17--f.
b. *Oratio in castris habita ad Judæos tumultuan-*
tes, c. 22.
c. *Oratio habita in Synedrio, c. 23.*
d. *Apologia coram Felice adversus Tertullum, c. 24.*
e. *Apologia coram Pontio Festo, c. 25.*
f. *Apologia coram Agrippa, c. 26.*
g. *Iter in Italiam, c. 27. & 28: 1--17.*
h. *Conversatio Romana, c. 28: 17--f.*

Interpretes Actorum Apostolicorum.

S. PATRES. Augustinus, Cassiodorus, Chrysostomus, Gregorius M. Theophylactus, Nicetus, Oecumenius.

REFORMATI. Capellus (Ludov.) Grynæus (Jac.) Stresus, Viretus, Brunfelsius, Pareus, Faucheur van Leeuwen. *Angli.* Ligthfootus, Pricæus.

AUGUSTANI. Arcularius, Brentius, Brunfelsius, Hegen-
dorffius, Jonas, Loffius, Menzerus, Pelargus, Sarcerius,
Selneccerus, Spangenbergius, Sagittarius, Menius, Ger-
hardus Major, Rothmaler.

PONTIFICII. Antonius, Boisius, Ferus, Formondus, Mas-
futius, Novaxinus, Pererius, Perez, Pitæus, Sanctius, Sta-
pleto-

pletonus, Lorinus, Bonaventura, Cajeranus, Triumphus, Epistolæ
 Montanus, Lintrensis, Gagnæus, Salmeron. ad Ro-
 Addantur Interpretes Librorum N. Test. omnium. Cap. I. manos.

CAPUT VIII.

DE

Epistola S. Pauli ad
Romanos.

BREVARIUM.

Transitus ad libros Didascalicos. Epistola Paulina quatuordecim. 1. S. Pauli prosopographia. Annus conversionis. Nomen Pauli & epitheta. Jacobi benedictio in Benjaminem ei à S. Patribus accommodata. Extrema Pauli disceptata. Romæ solutus vinculis, denno in Oriente Evangelium prædicasse, ac inde iterum Romam perductus martyrio coronatus fuisse videtur. 2. Epistolarum Paulinarum argumentum, & distinctio varia. 3. Stylus & orationis genus ac character earundem. Δυσνόητα in iis quo sensu nonnulla dixerit S. Petrus? 4. Ordo Epistolarum dispositionis & scriptionis diversus. Olim etiam dispositio variabat. Ordo Epistolarum secundum tempus scriptionis. 5. Epistola ad Romanos prima omnium est, non scriptionis, sed dignitatis ratione. Veteribus Catechismus Christianorum cluet. 6. Inscriptio Epistolæ Romanis quibus inscripta sit? 7. Inscriptio ejusdem Canonica non est, verisimilis tamen. 8. Scribendi occasionem specialem quam habuerit S. Paulus? 9. Argumentum Epistolæ. Clavis est ad referandos S. Scripturæ thesauros. 10. Romanis licet scribens Paulus, Romanè tamen seu Latine non scripsit, sed Græcè. 11. Obscu-

*Epistola
ad Ro-
manos.*

ritatis immeritò à veteribus nonnullis, Pererio aliisque Epistola hæc insimulatur. 12. Tempus scriptæ Epistolæ investigatur. Scripta est à S. Paulo libero adhuc, proximè ante vincula, cùm Hierosolymam iterata vice proficisceretur. Post utramque ad Corinthios scriptam esse rectè S. Chrysostomus arguit. 13. Partes Epistolæ tres sunt. I. Exordium. (cap. 1: 1--15.) II. Tractatio argumenti de justitia Evangelii, & præceptis vitæ. (cap. 1: 15-15: 14.) III. Epilogus. (cap. 15: 14-f.) Interpretes Epistolarum Paulinarum omnium vel plerarumque, & in specie Epistolæ ad Romanos Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, nec non Tabula Synoptica. 14.

*Episto-
læ Pau-
linæ.*

I. **P**ergimus à Libris historicis N. Test. ad didascalicos, Epistolas scilicet, quæ sunt tum *Paulinæ* quatuordecim numero, tum S. Jacobi, Petri, Johannis & Judæ septem, *Catholicæ* dictæ.

*Pauli
historia.*

II. Priores omnes cùm S. Paulum authorem habeant, uti *ἐπιγραφαι inscriptiones*, plerarumque omnium, aliæque arguunt, de eo in antecessum nonnihil dicendum fuerit. Constat nempe, Hebræum eum fuisse, ex tribu Benjaminis oriundum, Tharsi in Cilicia, colonia Romanorum natum, Hierosolymæ ad pedes Gamalielis educatum, adeoque minimè *ἀγράμματον*, sed eruditum, prudentem, in Patrum legibus exquisitè institutum, zelotem Dei, Act. XXI. 29. XXII. 3. Zelo eo, qui secundùm scientiam non erat, adeò abreptum, ut vastaret Ecclesiam Dei, & in perniciem ejus juratus æstualet, Act. VII. 58. VIII. 1. IX. 1. XXII. 4. 5. Galat. I. 13--23. Separaverat autem eum Deus inde ab utero matris, & vocavit per gratiam suam, miraculosamque conversionem, ut in ipso Filium suum revelaret, inter gentes prædicandum, Act. IX. 3--6. XXII. 7. 8. Gal. I. 15. 16. Quo post Passionem Domini anno conversio ejus contigerit, non

non concurs veterum recentiorumque sententia est. In Caji Caligulæ, non Tiberii imperium, aliquot post passionem Christi, & uno minimum, vel certè duobus post Stephani martyrium annis, incidisse, Celeb. Spanhemius *Dissert. de Æra conversionis Pauli* demonstrat, qui etiam post Gotharum aliosque mutati nominis rationes plures, diversas ab ea, quam ex Hieronymo plerique tenent, in appendice ejusdem Diatribæ eruere conatur. Nobis non displicet illa Origenis, existimantis, nomen illud, tanquam illustrius & gratius apud gentes, postquam ad eas legatus fuit, usurpassè. Appellatur autem peculiariter $\sigma\kappa\upsilon\theta\omicron\varsigma$ $\epsilon\kappa\lambda\omicron\gamma\eta\varsigma$ *vas electum*, Act. IX. 15. $\epsilon\delta\upsilon\omega\eta\ \text{'}\text{Αποστόλ}\omicron\varsigma$ *gentium Apostolus*, Rom. XI. 13. $\kappa\acute{\eta}\rho\upsilon\zeta\ \epsilon\gamma\ \text{'}\text{Αποστόλ}\omicron\varsigma$, $\delta\iota\delta\acute{\alpha}\sigma\kappa\alpha\lambda\omicron\varsigma$ *gentium præceptor & Apostolus, doctor gentium*, 1. Tim. II. 7. qui raptus in tertium Coelum audivit $\alpha\acute{\rho}\rho\eta\tau\alpha\ \rho\acute{\eta}\mu\alpha\tau\alpha$ *ineffabilia verba*, 2. Cor. XII. 3. nihilo inferior summis Apostolis, 2. Cor. XI. 5. XII. 11. plus etiam quam alii Apostoli omnes laboraverit, Rom. XV. 18. 19. 20. 1. Cor. XV. 10. Nihilominus memor, quod Ecclesiam persecutus esset, ita se demittit, ut se minimum Apostolorum, abortivum, indignum, qui Apostolus nuncupetur, peccatorum primum profiteatur, 1. Cor. XV. 8. 9. 1. Tim. I. 15. Ejus porro præconium, itinera maxime exercita, vincula superius in Actuum Apostolicorum epitome deprompsimus. Unum addo, non malè à S. Patribus plerisque Saulo & Paulo accommodatam Patriarchæ Jacobi benedictionem in Benjaminem Filium minimum charissimumque dictam Genes. XLIX. 27. ubi Benjamin vocatur $\text{לֵשׁ פֶּלִי וְרַב לַעֲרָב וְצֶדֶק לְבָנָי וְרַב בָּקָר וְרַב אֲמָתִים$ *lupus rapax, manè comedens prædam, & vesperi dividens spolia*. Sic enim etiam Paulus Benjaminita, Saulus adhuc primo manè, seu junior adhuc, tanquam lupus Ecclesiam vastavit: at Paulus jam, & conversus vesperi, seu ætate declinante, adeoque senior, spolia gentium, Diabolo detracta, Christo & Ecclesiæ divisit. De extremis verò Pauli ex S. literis nihil liquidò haberi potest. Romam perdu-

Epistola
ad Ro-
manos.

ctus, cum Cæsarem appellasset, ibi biennio in libera custodia agitasse, & Evangelium ibidem μετὰ πάσης παρήσιας, ἀκαλύτως, cum omni fiducia, nemine prohibente, prædicasse, Act. XXVIII. 31. dicitur. Quid deinceps ei factum sit, disertè non traditur. Solutum tamen vinculis illis post biennium illud, Româ discessisse, & Evangelium decem aliis annis prædicasse, denuo Romam perductum martyrium obivisse, Eulalius in peregrinatione Pauli memorat, atque ex 2. Tim. IV. 13. 16. 17. 18. veteres, Eusebio *Hist. Eccles. lib. II. 22.* collegerunt, & docti hodièque non malè colligunt. Et Hieronymus quidem in *Catal. Script. Eccles.* ipsum vinculis solutum, docendo & prædicando Evangelium Occidentem, Hispaniam imprimis, peragrâsse scribit. Alii verò existimant, cum nulla prædicationis Paulinæ vestigia, monumentaque certa in Occidente, à Roma si discesseris, extent, in Orientem eum rediisse, cumque in confirmandis, quas olim fundaverat, Ecclesiis gnaviter laboraret, rursus vinctum Romam pertractum, ibidèmq; martyrio coronatum fuisse, uti Eusebius *loc. cit.* refert. Et quidem decimo quarto Neronis anno, eodem, quo Petrus martyrio coronatus est, die, etiam Paulum capite plexum, sepultumque in via Ostiensi, anno à passione Domini tricesimo septimo, Hieronymus *loc. cit.* asserit.

Episto-
larum
Pauli
Argu-
men-
tum.

III. Tametsi verò commune est omnium Epistolarum Paulinarum argumentum, salutaribus de Christo, & beneficiis ejus morte partis, doctrinis & adhortationibus mixtum: tamen juxta potiorem cujusque argumenti & scopi rationem non malè ita distinguuntur, ut aliæ sint διδασκαλικαὶ καὶ κατασκευαστικαὶ, tradentes & confirmationem doctrinæ veræ ac salutaris, & refutationem falsæ, quo in genere sunt Epistolæ ad Romanos, Ephesios, Philippenses, Colossenses, prior ad Thessalonicenses, Hebræos: aliæ κατηχηματικαὶ, informantes vitam homine Christiano dignam, & corrigentes vitia grassantia, quò pertinent Epistolæ prior ad Corinthios, pars Epistolæ ad Galatas, ad Co-

Coloffenses, posterior ad Theffalonicenses: alia *Epistola*
επολογητικαί, defendentes Apostolatam, veluti *ad Ro-*
 posterior ad Corinthios: alia *εκκλησιαστικαί*, or- *manos.*
 dinem & officia Ecclesiastica tradentes, quo in
 censu sunt utraque ad Timotheum, una ad Titum:
 alia denique *δηληκαί* seu *μεσιτικαί*, *intercessoriae*,
 veluti una ad Philemonem.

IV. Stylus Epistolarum Paulinarum nec gran- Stylus
 dis, sublimis & ampullosus est, cum is doctrinæ earun-
 Evangelicæ, & fidei, non tam in sapientia homi- dem.
 num, quam potentia Dei pondus habenti, minus
 conveniat: nec humilis, impolitus & rudis, quem
 Sapientes hujus mundi jure despiciere queant;
 cum ob eloquentiam à Lyttrensibus pro Mercurio
 etiam habitum Paulum constet, Act. XIV. 12. sed
 ex utroque temperatus, medius, gravis doctrinâ,
 prægnans & densus sententiis, rotundus argumen-
 tis, jucundus affectibus, & elegans & efficax
 verbis, familiaris, planus, æquabilis, Cœlestis
 Rhetoricæ artificio, & Apostolo primario Chri-
 sti, doctrinæ & facundiæ laude nulli inferiori,
 planè conveniens. Meritòque adeò S. Ambrosius
 Serm. 68. exclamat: *Quæ Pauli Epistola non melle*
dulcior est, non lacte candidior? Et Eusebius *Histor.*
Eccles. lib. 24. Πάντων ἐν παρασκευῇ δυνατότατον λέ-
 γων, νοήμασι δὲ ἰκανώτατον, *structura sermonum om-*
nium potentissimum, sensibus instructissimum vocat. Sed
 & Hieronymus *ad Pammach. eam tubam Evangelii,*
rugitum leonis nostri, tonitruum gentium, flumen elo-
quentiæ Christianæ insignire non veretur. Doctiss.
 Glassius *Philol. S. pag. 344.* circa Epistolarum Pauli
 stylum peculiaria quædam observat, cujusmodi
 sunt, quòd Paulus mirificis & plus quàm maternis
 blandimentis auditores ad se alliciat: quòd in ob-
 jurgationibus gravitatem cum lenitate prudentis-
 simè temperet: quòd peculiare & ab aliis non
 usitatas loquendi formulas subinde usurpet: quòd
 vocibus quibusdam nova significatione & sensu
 utatur. Δυσνόησά τινα, *intellectu difficilia nonnulla*
 in iis occurrere S. Petrus 2. Ep. III. 16. dixit; non
 tamen ob sermonis obscuritatem, sed ob sublimi-

*Epistola
ad Ro-
manos.*

tatem rerum, & humanæ mentis, ardua aded & difficilia, vel ob infirmitatem non statim percipientis, vel ob malitiam pervertentis, defectum. Quò pertinent oracula nonnulla de illuloribus postremorum temporum, extremo iudicio, Christi adventu, fine mundi, innovatione Seculi, qualia S. Petrus ibidem tractat.

Ordo.

V. Ordo Epistolarum Paulinarum geminus est, unus *dispositionis seu collocationis*, alter *scriptionis*. Ordo *dispositionis*, qui in hodiernis exemplaribus obtinet, moli librorum nec non Ecclesiis & personis, ad quas scriptæ sunt, respondere videtur. Præcedunt enim Epistolæ majores, & Ecclesiis integris inscriptæ: sequuntur minores, singularibus etiam personis inscriptæ, exceptâ tamen ad Hebræos scriptâ, quæ & mole præcedentes plerâque superans, & genti integræ inscripta licet, ultimo tamen loco collocatur. Antiquitus quidem non eodem, quò hodie comparent, ordine ab omnibus collocatæ sunt. Quippe S. Athanasius in *Synopsi* & Catholicas Paulinis præmittit, & eam, quæ ad Hebræos scripta est, decimam numerat. Sed & Tertullianus *lib. 5. contra Marcion.* alium Epistolarum ordinem tenet. Ordinem verò *scriptionis*, seu temporis, quo singulæ scriptæ sunt, quod attinet, is nec ex ipsis Epistolis, nec ex historia satis evidens est. Cum tamen eum cognoscere non parùm interfit, *conferatque plurimum ad quæstiones explicandas ipsum Epistolarum tempus*, uti S. Chrysostomus in *Epist. ad Rom. in prin.* monet, conabimur in loco eruere, & constabit utcunque, non carere ratione, si hunc *scriptionis ordinem* tenuerimus, ut alias ab ipso libero adhuc & soluto, alias ex prioribus vinculis, alias inter priora & posteriora vincula, alias denique ex posterioribus vinculis scriptas dicamus. A S. Paulo libero adhuc & soluto scriptæ sunt I. Epistola prior ad Thessalonicenses A. C. 54. II. Epistola posterior ad Thessalonicenses, anno eodem. III. Epistola ad Galatas A. C. 59. IV. Epistola ad Romanos, anno eodem. V. Prior ad Corinthios, anno eodem.

demi.

dem. VI. Posterior ad Corinthios A. C. 60. Ab eodem in prioribus vinculis Romæ scriptæ sunt VII. Epistola ad Philipenses A. C. 60. VIII. ad Philemonem, anno eodem. IX. ad Ephesios, anno eodem. X. ad Hebræos, anno eodem. *Inter priora & posteriora vincula* scriptæ sunt XI. Epistola ad Colossenses, anno incerto. XII. Prior ad Timotheum, anno incerto. XIII. Epistola ad Titum, anno incerto. *In posterioribus vinculis*, paulò ante mortem, Romæ scripta est XIV. Epistola posterior ad Timotheum A. Ch. 67. Hanc Chronotaxin, in qua ferè Usserium Armachanum præeuntem habemus, in loco demonstramus fusiùs.

Epistola
ad Ro-
manos.

Epistola
ad Ro-
manos
prima.

VI. Primas non quidem *scriptionis* tempore, sed *dignitatis* ratione Epistola ad Romanos obtinet. Nam & ad Romanos fideles, incolas scilicet ejus urbis, quæ summam tum temporis in orbe Majestatem obtinuit, & terrarum orbi jura dedit, scripta est: at de primariis fidei articulis ita compendiosè & artificiosè agit, ut universæ Theologiæ medullam, delibatamque summam complecti dicatur meritò nec sine causa *Catechismi Christianorum* nomine apud veteres venerit.

VII. Inscriptio Epistolæ sic habet: Παῦλος τῷ Ἰνσκρι-
Ἀποστόλες ἡ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολή, Pauli Apostoli ad ptio.
Romanos Epistola. Sed & in principio Epistolæ Paulus eam inscribit πᾶσι τοῖς ἔσω ἐν Ῥώμῃ, ἀγαπητοῖς Θεῷ, κλητοῖς ἁγίοις, omnibus, qui Romæ sunt, dilectis Dei, vocatis sanctis, Rom. I. 7. Intelliguntur quilibet Romæ, neque Romæ duntaxat, sed in toto etiam Occidente Romæ obnoxio, ad quem fides in Epistola hac tradita manavit, sive ex Judæis, sive ex Gentibus conversi. Judæos plurimos Romæ fuisse, Josephus *Antiquit. lib. VII.* notat. Eisdem trans Tiberim habitasse, Philo *Legat. ad Caj.* narrat. Licet à Claudio ad tempus Româ pulsi sint, eodem tamen illos rediisse, ex Rom. XVI. 3. colligitur.

VIII. Subscriptio ejusdem Epistolæ est: πρὸς Ῥωμαίους ἐγγραφὴ ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φιλῶντος τῆς διακονῆς τῆς ἐν Κεγχρεαῖς Ἐκκλησίας. Ita in Græcis Codicibus illa habet, quanquam in versione Æthio-

*Epistola
ad Ro-
manos.*

pica & Codice Claromontano, ut & reliquarum Epistolarum subscriptiones, tota deest. Negat igitur Beza, negant alii, subscriptiones ejusmodi agnoscere Apostolum Paulum, adduntque, posterioribus temporibus à quibusdam non satis consideratè additas, & eapropter non Divinas, quasdam etiam, puta priori ad Timotheum, & ad Hebræos, subnexas falsas esse. Sed de hoc quicquid sit, subscriptionem saltem hujus Epistolæ veram esse, dubitamus omnino nulli. Paulus enim ipse cap. XVI. 1. γραμματοφόρος Phœbes, Ministræ Ecclesiæ Cenchræensis, Corinthiorum portus, Corintho vicinæ meminit. Corintho igitur scriptam, non primo Pauli adventu Corinthum, sed altero, cujus Act. XIX. 21. coll. cum Rom. XV. 24. mentio est, & per Phœben dimissam esse, sic satis probabile est, & pluribus etiam argumentis Origenes *Præfat. in Epist. ad Rom.* ei sententiæ fidem conciliat.

Occasio. IX. Scribendi porrò occasionem specialem præbuere tum fides Romanorum toto orbe decantata, Rom. I. 8. quam proin confirmare Apostolus instituit: tum æmulatio, quæ Judæos inter & Gentiles intercessisse videtur, illis fœderis prærogativâ superbientibus, legis justitiam crepantibus, & Gentiles contemnentibus: his adversus Judæos rejectos se efferentibus, iisque non parùm insultantibus, virtutes quinetiam, & κατ' ὄψιν αὐτῶν sua jactantibus, Christianâque libertate abutentibus.

**Argu-
men-
tum.**

X. Paulus igitur utrisque informandis, & in Regiam viam semitamque deducendis de justitia Dei, quæ est potentia Dei ad salutem omni credenti, adeoque justitia illa, per quam peccator justificatur, disserit clarissimè, ostenditque adeò, illam nec operibus legis naturalis, quam Gentiles obtendere poterant: nec operibus legis Mosaicæ cujuscunque, quorum Judæi typho inflati insolebant; sed fide justitiam Christi apprehendente, sibi que cum fiducia vindicante, coram Dei tribunali justificari: ac gratiæ illius, quâ per fidem hanc justificatur, compotes sub novo fœdere esse non Judæos duntaxat, qui eam sibi eximiam putabant, spretis

spretis aliis omnibus ; sed etiam gentes in promissione Abrahamo facta æquè comprehensas, (quibus ipsis tamen humilitatem etiam commendat,) demonstrat : denique justificatis per fidem vitæ Christo dignæ ritè instituendæ normam & officia varia præscribit. Verbo dicam, quæ ad fidem salvificam, & vitam Deo placentem pertinent, universa ferè artificiosissima methodo complectitur, adeoque clavis est ad referendos S. Scripturæ thesauros, Lydiusque Catholicæ religionis & Ecclesiæ lapis.

XI. Romanis scribens licet Paulus, Græcè Epistola ad Romanos. Lingua, tamen, non Romanè, seu Latinè, uti Scholiastes Syrus pertendit, scripsit: quia Græca Lingua Romanis omnibus etiam scæminis, uti ex Juvenali discimus, in usu quotidiano fuit ; peregrinis verò Romæ commorantibus notior etiam quàm Romana fuit. Accedit, quòd hæc Epistola, Romanis inscripta & missa licet, in salutem tamen Ecclesiæ totius destinata fuit. *Græca autem, uti Cicero ait pro Archia, leguntur in omnibus ferè gentibus: Latina suis finibus, exiguis licet, continentur.*

XII. Obscuritatis Epistolam hanc veteres Claritas nonnulli accusant. Origenes in *Philocalia cap. 9.* dicit: *προκείσθαι κρύψαι, ἢ μὴ φανεραῖς ἐκδίδουσι τὰ νοήματα τῆς ἀληθείας τῶ ἐν τοῖς προφήταις πνεύματι, ἢ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις Χριστῷ λέγου.* *Propositum esse Spiritui, qui fuit in Prophetis, & verbo, quod in Apostolis Christi, occultare, & non manifestè exponere sensus veritatis;* additque, id maximè fieri in hac ad Romanos Epistola, utpote, quæ confragosi plus habeat, quàm cæteræ. Sermonem etiam Epistolæ hujus *implicatum & confusum, locutiones suspensas & ambiguas* Pererius accusare non veretur. Sed periculum nullum est, ne non intelligatur ab iis, qui se Spiritui S. dociles præbent, debita *προσοχῇ* attentione, Hebr. II. 1. utuntur, & *τὰ σοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων* & *Θεῶν elementa initii oraculorum Dei* haurientes, *λόγος δικαιοσύνης ἐκ ἀπείρου, sermonis justitiæ non imperiti sunt,* Hebr. V. 12. 13. 14. VI. 1. qui denique secundum analogiam fidei omnia exponere,

*Epistola
ad Ro-
manos.*

fermonésque salutare retinere animum inducunt. Proin qui de stilo hujus aliarúmque Epistolarum quiritantur, difficultatésque exaggerant, (quod studiosè nimis etiam Crotius facit,) suspectos se reddunt negligentíæ supinæ, quódque parati sint pro verbis Spiritus S. sua, meliora scilicet, obtrudere.

Tempus

XIII. Tempus scriptæ hujus Epistolæ non eodem modo omnes definiunt. Antea, quàm Romam Paulus venisset, scriptam esse, ex cap. I. 11--13. abundè liquet. Sed & scriptam esse, cum Hierosolymas, ministraturus sanctis, proficisceretur, ipsemet Paulus cap. XV. 24. ita loquens: *Nunc autem proficiscor Hierosolymam, ministraturus sanctis;* innuit. Proin exarata videtur tum, cum Paulus actis tribus in Græcia mensibus, Act. XX. 2. 3. navigaturus esset Hierosolymam, ut eò collectas Ecclesiarum Achajæ, Asiæ & Macedonię deferret, Rom. XV. 24. Huc refer Pauli consilium, Act. XIX. 21. qui cum animo suo constitutum habuerat peragrata Achajâ & Macedoniâ proficisci Hierosolymam, tum inde Romam petere. *Nam, inquit, postquam illic fuero, oportet me etiam Romam videre.* Ex quibus ad liquidum ferè perducimus, scriptam esse Epistolam à Paulo adhuc libero, nondum vinculo, adeóque ante omnes Epistolas in vinculis scriptas: & quidem paulò ante vincula, cum in itinere Hierosolymam versus, ibi vincendus, versaretur, Corinthi scilicet, unde Epistola scripta est: denique scriptam esse ultimam ab ipso adhuc libero, & vinculis Hierosolymæ nondum constricto. Certè etiam post utramque ad Corinthios scriptam esse, jam olim rectè Chrysostomus arguit; tum quia per Phœben, quam commendat Romani; cap. XVI. 1. quæque ministra erat Ecclesiæ Cenchreensis, Corintho vicinæ, scripta est: tum quia ab Erasto *οικονόμος τῆς πόλεως* procuratore urbis, Corinthi scilicet, (2. Tim. IV. 22.) nec non Cajo Corinthio itidem (1. Cor. I. 14.) Romanos salutat, Rom. XVI. 23. Cum igitur Corintho scripta sit, & tum scripta sit, cum inde

Hiero-

Hierosolymam proficisceretur, jam collectâ in usum Sanctorum pecuniâ, ad quam corrogandam 2. Cor. VIII. 7. &c. hortatus erat, post Epistolam hanc posteriorem, adeoque etiam priorem ad Corinthios illam exarata esse, vix dubitari potest.

XIV. Tria ferè Epistolæ hujus summa capita constitui possunt. *Primò* enim ejus exordium, quo benevolentiam atque attentionem Romanorum Apostolus captat, cap. I. 1--15. *Secundò* ejusdem *ἐγνώσια* tractatio, quâ & doctrina de justitia Evangelii, & præcepta vitæ justitiam Evangelicam docentis traduntur, cap. I. 15--XV. 14. (Perpetua nempe hæc Mosis, Prophetarum, Christi & Apostolorum methodus est, quòd ex doctrina, quam primo loco tradunt, admonitiones, exhortationes, minas, consolationes, &c. extruant.) *Tertiò* Epilogus cap. XV. 14--f. describuntur.

I. *Exordium Epistolæ.* Cap. I. 1--15.

Ubi S. Paulus & Romanis Epistolam inscribit, præscripto nomine suo, Apostolicæ dignitatis officio, autore fine, (7.) & benevolentiam attentionemque eorundem captat, partim Deo ob fidem eorum gratias agens; partim propositum suum ad illos veniendi indicans. (15.) cap. I. 1--16.

I.

Exordium.

Cap. 1.

II. *Tractatio Epistolæ, doctrinam de justitia Evangelica, nec non præcepta vitæ explicans.* Cap. I. 16--XV. 14. Vide

II.

Tractatio.

1. *Thesin*, quòd Evangelium Christi sit potentia Dei ad salutem omni credenti, Judæo primùm & Græco, utpote in quo justitia reveletur ex fide in fidem, cap. I. 16. 17.

2. *Demonstrationem thesios.* cap. 1; 18--12. Duo autem demonstrantur.

a. *Justitiam Dei revelari ex fide in fidem.* cap. 1; 18. quod demonstratur.

α. Κατ' ἄνω ἑσῶν ἑσῶν ἑσῶν

x. *Gentilium*, quos per opera naturæ justificari negat, propter illorum in cultu impretatem, ob quam suis affectibus illos Deus tradidit, (28.) & in vitam injustitiam multiplicem, ob quam mortis reos Dei justitia illos fecerit. (31.) cap. 1; 18-f.

β. *Judæorum*, quos legis damnationi obnoxios esse, probat ex hypocrisi quâ alios judicantes ipsimet re, inexcusabiles, (8.) judicandi primi, & juxta illos etiam gentiles, utrique adeò & fi-

2.

ne,

Epistola
ad Ro-
manos.

Cap. 3.

4.

5.

6.

7.

8.

ne, & cum lege peccantes, inveniuntur, (15.)
refutatis eorundem objectionibus, petitis ex
prærogativis (24.) circumcissione, (29. cap. 2.)
utilitate Judaismi & circumcissionis. (8.) cap.
3: 1--9.

3. Utrorumque & Judæorum & Gentilium, quo-
rum passivam corruptionem Scripturæ testi-
monis comprobatur. (20.) cap. 3: 9--21.

β. Κατὰ πίστιν. Ubi docet Apostolus

α. Justificationem contingere per solam fidem in
Christum, quem Deus propitiatorum consti-
tuit, sine operibus legis. (31.) cap. 3: 21--f.

β. Justificationem talem habere testimonium in
lege & Prophetis; velut in justificatione Abra-
hami, (5.) Davidis, (8.) nec non promissione
Abrahamo facta, quæ cum hæreditate legis sit
αὐτῶν αὐτῶν, (25.) cap. 4.

γ. Justificationem per fidem in Christum esse ve-
ram, solidam & perfectam. cap. 5--9.

XX. Tum quia præstat non tantum pacem
cum Deo, sed etiam illud imprimis, ut in me-
diis afflictionibus in Domino gloriari possi-
mus, (11.) tum quia sicut vera fuit condem-
natio per Adamum primum, post se trahens
mortem: ita vera est justificatio per Ada-
mum secundum, post se trahens justitiam &
salutem, (19.) tum quia id ipsum docet sco-
pus legis post promissionem introductæ, in
eo consistens, ut abundante delicto magis
gratia abundaret. (21.) cap. 5.

XXI. Quia justificatio post se novitatem vitæ
trahit, utpote liberans à dominio peccati &
concupiscentiæ, (11.) & ad studium sancti-
ficationis suaviter alliciens, potenterque per-
movens. (23.) cap. 6.

XXII. Quia per Christi justitiam legi, veteri Do-
mino mortui, & emancipati, novo Domino
vivimus, (6) ubi comparatur effectus legis
tum *sine gratia*, ut videlicet cognoscatur pec-
catum, & concupiscentia latens excitetur,
(12.) tum *cum gratia*, ut noverit homo carnis
in se reliquias, (16.) regenerationem, per quam
fit, ut peccatum veteri, non novo homini im-
putetur, (20.) suam etiam in statu gratiæ mi-
seriam, (23.) unde ad liberationem ex corpore
mortis anhelans fidelis Deo gratias agit. (25.)
cap. 7.

XXIII. Quia immunitatem à damnatione præstat,
(4.) libertatem gloriandi confirmat, cum sen-
tiant justificati, se non cum carne, sed cum spi-
ritu facere, (5) liberos esse à morte, quia
facere cum spiritu vita & pax est, facitque, ut
Deo

Deo placeamus, (9.) & resuscitationem corporis post se trahit, (13.) denique quia iustificati certam spem gloriæ habent; quod probat Apostolus tum quia adoptantur in filios Dei, (16.) tum quia cum Christo patientes, cum eodem glorificandi, (18.) tum quia reliquæ etiam creaturæ ad gloriam filiorum Dei anhelant, (22.) tum quia fideles primitias spiritus habent, (25.) tum quia id ipsum gemitus illorum probant, (27.) tum quia propositum, præcognitio Dei, eamque sequentes gratiæ gloriam iis paratam esse probant, (30.) tum denique, quia iustificatos Deus constanter amat, nihilque amorem illum impedire potest, (39.) cap. 8.

*Epistola
ad Ro-
manos.*

b. *Justitiam Dei revelari ex fide in fidem, primum Judæo, tum & Græco, seu gentibus. cap. 9-12. Ubi S. Paulus*

2. De suo erga Judæos affectu, & eorundem Judæorum prærogativis præfatus, (5.) docet, promissiones Dei Judæis factas irritas non esse, licet non omnes Israëlitiæ adoptentur, quia non liberi carnis, sed promissionis in semen deputentur, (8.) quod probat ex typis Isaci & Ismaëlis, (9.) nec non Jacobi & Esavi, (13.) ubi injustitiæ crimen à Deo amolitur, eò quòd liberè misereatur, cuius vult, & induret, quem vult, (18.) & objicientibus, quòd sic inobedientibus Deus succensere non debeat, (19.) respondet, figulo in vas suum plenam potestatem competere. (23.) cap. 9: 1-24.

Cap. 9.

3. Vocationem per prædicationem Evangelii dirigendam esse, non ad solos Judæos, sed etiam gentes, (26.) infirmis quia Judæi plerique defecerint, (29.) impingentes ad lapidem offendiculi, & propriæ justitiæ typho inflati, ad justitiam legis non pertingentes. (33.) cap. 9: 24-f.

4. Judæos zelo quidem, sed non secundum notitiam ardentibus, legis justitiam per operum merita sectantes, à Christo, qui legis scopus est, penitus aberrasse, (10.) proin omnes jam credentes, sine discrimine, Judæi an Græci sint, salvari, (13.) & gentes quidem salvari non per legem Moïsi, sed per novam prædicationem Evangelii, cuius necessitas ex S. Scriptura probatur. (21.) cap. 10.

10.

5. Populum interim Judaicum penitus abjectum non esse. Nam & electos assequi, quod exemplo temporis Eliæ probatur doceturque, reliquias superesse Israëlitiæ secundum gratiam electionis, (6.) & indurationem contingere debuisse, (10.) neque ita offendisse eos, ut planè corruant, quia lapsus eorum sit plenitudo gentium, sancti Patres eorum, & tam facile iterum nativæ oleæ inferi possint, quàm facile gentes oleaster ei inferi potuere, (14.) quinimò indurationem Judæis obtigisse ad

11.

etm-

Epistola
ad Ro-
manos.

tempus, & tum totum Israël salvatum iri, quod
tum testimoniis Scripturæ, tum immutabilitate
electionis & vocationis Divinæ, tum gentium
exemplo probatur. (32.) cap. 11: 1-33.

2. Consilium hoc universum de vocatione Judæorum
& gentium admiratione dignum esse, & facere
ad illustrandam gloriam divitiarum, sapientiæ,
judiciorum viarum Dei, (33.) & tam neminem
mentem Domini nosse; quam Deus ipse nemini
debitor est. (35.) cap. 11: 33-f.
3. Præcepta vitæ gratiam vocationis decentis, cap. 12-
15: 14.

Cap. 12.

- a. *Moralia* puta officia tum Deo ab omnibus (2.) tum
proximo debita, partim in munere Ecclesiastico, ubi
& vetat Paulus, ne quis modestiæ egressus limites
sefe efferat super alios, (5.) & munus quemque suum
secundum accepta dona obire jubet; (8.) partim in
commune, ubi charitatem commendat, ejusque exer-
citiu in amore & honore fratrum; (10.) studio,
spiritu, concordia societate, spe, (12) hospitalitate, (13)
amore persequentium, omniumque sine superbia
demerendorum, (16.) & ulciscendi neminis, (21.)
ostendit. cap. 12.

13.

- b. *Politica*, ubi & obedientia Regi & Magistratibus
debita, (7.) & mutua civium officia, ne quis alteri
cujusque rei, nisi charitatis debitor sit, (11.) & tem-
perantiæ honestæque conversationis studium, quia
nox præteriit, & dies adest, (14.) commendat. cap. 13.

14.

- c. *Ceremonialia*, ubi
a. Partim in rebus adiaphoris infirmos suscipi jubet,
& judicari vetat, eò quod Deus talibus etiã gra-
tiosus sit, (4.) infirmi actio cum pietate non pugnet,
(6.) nemo sibi sed Christo, cujus sumus, vivere
debeat, (9.) & Christus solus judex sit omnium,
(13.) partim scandalum infirmis poni prohibens,
eundem ædificari potius jubet, (19.) & rationes
contra scandalum promit. (23.) cap. 14.

15.

- β Christi exemplo probat, oportere infirmitates
imbecillium portare, & sibi non placere, utpote
qui se ipsum humiliavit, (4.) nos ad gloriam Dei
assumpsit, (7.) & Judæis & gentibus gratiæ mini-
ster extitit. (13.) cap. 15: 1-14.

III.

Epilo-
gus.

III. *Epilogus Epistolæ*. Cap. XV. 14--f. Ubi

1. Epistolam hanc commendans, suæ in scribenda ea
τόλμης seu audaciæ causam reddit, puta Romanorum
fidem ac cognitionem, (15) gratiam sibi datam, ut
esset minister gentium omnium, ubi de Apostolatus sui
successu & canone gloriatur, (21.) nec non ejusdem
occasionem, ad scribendum ipsum impellentem, quia
hactenus ad eos venire non potuit, licet ad eos venire
studuerit, (29.) unde eosdem rogat, ut sui ad illos
itineris successum precibus Deo commendent, (32.)
& iisdem pacem precatur. (33.) cap. 15: 14-f.

- Phœben Diaconissam commendans, (2.) fideles ex-*Epistola* pressis nominibus salutatur, (16.) eos, qui schismata & ad Romanicandala excitant, observari jubet, (20.) comitum manus. Apostolicorum nomine salutem Ecclesie Romanæ 16. dicit, (24.) & glorificatione Dei claudit. (27.) cap. 16.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ S. PAULI AD ROMANOS.

Partes.

I. Exordium, & in eo benevolentie captatio, cap. I: 1--15.

II. Tractatio argumenti, de justitie revelatione, ex fide, & preceptis vite, cap. I: 16--XV: 14. Ubi sunt

1. *Thesis de revelatione justitie Dei ex fide*; cap. I: 16.

2. *Theseos demonstratio*, c. I: 17. ubi docetur

a. *Justitiam Dei revelari*

α. *Non ex operibus, respectu*

α. *Gentilium*, c. I: 17--f.

β. *Judeorum*, c. 2.

γ. *Utrorumque*, c. 3: 1--21.

β. *Sed ex fide sola*; ubi docetur

α. *Justificari nos sola fide*, c. 3: 21--f.

β. *Exemplo Davidis, Abrahami*, c. 4.

γ. *Justificationem per fidem veram esse, quia prestat pacem, & vera fuit damnatio Adami primi*, c. 5. *post se trahit novitatem vite*, c. 6. *novo Domino, justitia nos mancipat*, c. 7. *à damnatione liberat, & certo glorificat*, c. 8.

β. *Justitiam Dei ex fide revelari, primum Judeo, tum & Græco*, c. 9--12. ubi docetur

α. *Promissiones Judæis factas ratas esse, licet non omnes salventur*, c. 9.

β. *Judeos à scopo legis aberrasse, & nunc omnes credentes, etiam ex Gentilibus salvari*, c. 10.

γ. *Judeos tamen penitus abjectos non esse, & post indurationem conversum iri denuo*, c. 11.

γ. *Præ*

*Epistola
ad Ro-
manos.*

3. *Præcepta vitæ*, c. 12--15:14.
 a. *Moralia, officia Deo & proximo debita*, c. 12
 b. *Politica, officia Magistratui & civibus in-
vicem debita*, c. 13.
 c. *Ceremonialia, de*
 α. *Infirmis suscipiendis, & scandalo vitande
in usu rerum adiaphorarum*, c. 14.
 β. *Infirmorum infirmitatibus portandis, exem-
plo Christi*, c. 15: 1--14.

III. *Epilogus*, cap. XV. 14--f. ubi S. Paulus

1. *Epistolam commendans, ejusdem ad Romanos
Scriptæ rationem & occasionem explicat*, c. 15:
14--f.
 2. *Phœben commendans, fideles salutat, schismaticos
observari jubet, comitum nomine Romanos salutat,
& glorificans Deum claudit*, c. 16.

A. *Interpretes Epistolarum Paulinarum omnium,
vel plerarumque.*

S. PATRES. Anshelmus, Ambrosius, Beda, Chrysofomus,
Hieronymus, Oecumenius, Primasius, Theophylactus,
Theodoretus, Sedulius, Haymo, Radulphus Flaviacensis.

REFORMATI. Calvinus, Crocius (Joh.) Hyperius, Lau-
rentius, Viretus, Zanchius. *Angli.* Dixon, Featlejus,
Fergasson.

AUGUSTANI. Balduinus, Bugenhagius, Cluverius, Hemin-
gius, Heshufius, Hunnius, Major, Osiander (Lucas),
Selneccerus, Spangenbergius.

PONTIFICII. Arboræus, Catharinus, Contarenus, Estius,
Eutholius, Ferus, Gorcomius, Guilbertus, Guillaudus,
Hales, Hontoyr, Janfenius, Justinianus, Lombardus,
Lopez, Lubinus, Novarinus, Prateolus, Sabout, Serrarius,
Titelmannus, Victor (Hugo & Richardus,) Bruno,
Thomas Aquin. Gregor. de Arimino, Gagnæus.

Addantur Interpretes Librorum omnium N. Test. Cap. 1.

B. *Interpretes Epistolæ S. Pauli ad Romanos
seorsim.*

S. PATRES. Augustinus.

REFORMATI. Amyraldus, de Brais, Fayus, Gomarus, Gry-
næus, (Jac.) Heideggerus, Martyr, Musculus, Oecolampa-
dius, Olevianus, Paræus, Scultetus, Streso, Zwinggerus
(Theodorus,) Zwinglius, Claudius, I. Alting, Bucerus,
Willichius, van Peen. *Angli.* Draxus, Palfreyman,
Parræus, Rollocus, Sclater, Willetus, Wilson,

AUGUSTANI. Arcularius, Bokstadius, Brentius, Bucerus,
Calovius, Cruciger, Gerhardus, Himmelius, Hubertus,
Lossius, Lutherus, Melancthon, Menzerus, Mylius, Wi-
gandus,

gandius, Winkelmannus, Spangenberg, Spener. *Epistole*
 PONTIFICII. Alesius, Cerda, Conzen, Cooperus, Cro- *I. ad*
 quetius, Fetus, Ficinus, Grimanus, Mussus, Naclantus, *Corinth.*
 Olorius, Pantufa, Pererius, Perez, Sadoletus, Sogerius,
 Sixtus Senensis, Soto, Stapletonus, Stæyartius, Toletus,
 Vasquez, Viguerius, Ægidius Romanus, Sasbout. Titel-
 maninus, du Feu.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. Cap. I. nec non
 Epistolarum Paulinarum, supra Lit. A.

CAPUT IX.

DE

Epistola S. Pauli priore
ad Corinthios.

BREVARIUM.

Epigraphæ Epistolæ. Corinthus Achajæ urbs splen-
didissima, sceleribus abundans. Ecclesia in ea
à S. Paulo fundata. I. Subscriptio Epistolæ su-
specta est. Epbesi, non Philippis scripta est. 2.
Occasionem scriptionis præbuere scandala &
Epistola Corinthiorum. 3. Argumentum Episto-
læ. 4. Tempus scriptæ ejusdem investigatum. 5.
An alia priorem hanc Pauli ad Corinthios Epi-
stola antecesserit? 6. Partes ejus septem con-
stitutæ. I. Objurgatio Corinthiorum propter
schismata, & ad unitatem conservandam ad-
hortatio. (cap. 1--5.) II. Objurgatio eorun-
dem ob neglectam disciplinam circa incestuo-
sum, lites forenses, & impuritatem vitæ. (cap.
5. 6.) III. Responso ad questionem de virgi-
nitate & cœlibatu. (cap. 7.) IV. Instructio de
idolothytis, habitu mulierum in Ecclesia, & Cœ-
na Domini. (cap. 8--12.) V. Instructio de spi-
ritualibus. (cap. 12--15.) VI. Corinthiorum
confirmatio in articulo fidei de resurrectione
mortuorum. (cap. 15.) VII. Epilogus Epistolæ.

Mm

(cap.

Epistola
I. ad
Corinth.

(cap. 16.) *Interpretes Epistola veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, nec non Tabula Synoptica. 7.*

Evigra-
phe.

Inscribitur hæc Epistola Παύλος ἔ' Αποστόλος ἡ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολή πρώτη. *Pauli Apostoli ad Corinthios Epistola prior.* A Paulo scriptam, & Corinthiis inscriptam esse, ipsa Epistola cap. I. 1. 2. docet. Corinthus autem celeberrimum totius Achajæ emporium fuit, frequens admodum & opulentum; in Isthmo situm inter duo maria Ægeum & Jonium. Unde Ovidio Corinthus *bimaris* dicta. Ex divitiis, ob quas Pindaro ἰλβία Κόρινθος *beata Corinthus* vocatur, ad tantum luxum, molitiam, superbiamque pervenit, ut inde proverbium natum sit: ἔ' παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον εἶδ' ὁ πλῆς. *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Quanquam de difficultate portus Corinthiaci id alii intelligant. Chrylostomus quoque πόλιν τῶν εὐσῶν καὶ γεγενημένων ἐπαφροδιτάτην urbem *omnium venustissimam* vocat. Superbia cum eos ad contemptum usque Romani nominis inflâset, excidium eis attulit, victore Mummio. Restitutæ verò per Julium Cæsarem urbi, brevi ut opulentia, sic vetera vitia rediere. Illuc cum S. Paulus Athenis venisset, Crispum & Sosthenem, duos Synagogæ Judaicæ præfectos, ad Christum convertit, quibus mox alii & Judæi & gentiles accesserunt. Ita Paulus octodecim menses Corinthi commoratus, Act. XVIII. 11. in hac luxu licet diffluente & venereis cupiditatibus immersa urbe, florentissimam Ecclesiam plantavit, quam tamen, eo digressio, & schismata & scelera ibidem vetera ac prævalida denuo corrumpere & incestare cœperunt.

Subscri-
ptio.

II. In Græcis Codicibus subscriptio ita habet: πρὸς Κορινθίους πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανῶ, καὶ Φερτυνάτου, καὶ Αχαϊκῶ, καὶ Τιμοθέου. *Ad Corinthios prior scripta est Philippis per Stephanam & Fortunatum, & Achaicum & Timotheum.* Eadem Syrus & Arabs habent. Suspecta tamen hæc subscriptio est, quia non tam Philippis, quàm Ephesi scri-

Scriptam illam esse, ipsemet Apostolus cap. XVI. *Epistola*
8. innuere videtur. Id quod etiam Athanasius, *I. ad*
Chrysostomus, alique veteres censuerunt. Neque *Corinth.*
obstant verba cap. XVI. 5. *Μακεδονίαν διέρχομαι,*
Macedoniam transeo. Non enim, hæc scribens,
Macedoniam transiit, sed mox transiturum se
innuit, ut *διέρχομαι* positum sit pro *διελεύσομαι.*

III. Epistolæ huic scribendæ occasionem Paulo *Occasione*
præbuerunt tum ingentiæ scandala & vitia, quæ
Paulo Corintho digresso Ecclesiam ibi plantatam
turbârunt vehementer, uti à Chloes familiaribus
edoctus fuerat: tum Epistola ipsa Corinthiorum,
quâ de dubiis casibus nonnullis ipsum in consi-
lium adhibuerant.

IV. Sic igitur S. Paulus Corinthiorum funesta *Arguē*
diffidia arguens, unitatem & concordiam suadet, *mena-*
simplicitatem doctrinæ suæ Pseudapostolorum *turæ.*
vanitati opponit, sceleratos, incestuosum inprimis
tolerantes, de rebus *βιωτικαῖς* & nihili coram ju-
diciis infidelium contendentes, & scortationem,
non pro eo ac decebat, abhorrentes graviter in-
crepat; de virginitate & nuptiis, idolothytiis,
scandalis, ordine & decoro in Ecclesia observan-
do, communionem mensæ Dominicæ ritè obeunda,
spiritualibus eosdem informat, & articulum re-
surrectionis mortuorum gravissimè confirmat.
Varietate igitur rerum Epistola hæc nulli secunda
est; nec minimam partem *ἠθρονοῦντων* illorum, quæ
S. Petrus 2. Pet. III. 16. memorat, continet.
Quæ ipsa tamen circa res historicas potius quàm
fidem occupantur.

V. Epheso scriptam esse hanc Epistolam, supra *Tempus*
arguimus. Eò scilicet ad eum scripserunt Corin- *Scriptio-*
thii, 1. Cor. VII. 1. idque, uti videtur, per Stepha- *nis.*
nam & Fortunatum, quos ad eum miserant, ib.
cap. XVI. 17. per quos proin videtur Paulus Epi-
istolam hanc rescripsisse, utpote in qua eos Corin-
thiis impensè commendat, cap. XVI. 15-18. Ephesi
porrò scripta videtur, paulò antequàm inde di-
gressus in Macedoniam proficisceretur, adeoque
sub finem triennii illius, quod Ephesi exegit,
Mm ; quod

*Epistola
I. ad
Corinth.*

quod ex cap. XVI. 1. 2. 3. Act. XIX. 1. proclive collectu est: & quidem paulò ante Pentecosten. Dicit enim 1. Cor. XVI. 8. *Permanebo Ephesi usque ad Pentecosten.* Hæc verò Pentecoste præcessit illam Pentecosten, quâ Hierosolymis esse constituerat, Act. XX. 16. Sic igitur Epistola etiam hæc à Paulo adhuc libero, post annum præter propter Hierosolymis vinciendo, adeoque, juxta Ufferii aliorumque probatissimorum calculum, Christi nati anno quinquagesimo nono scripta est.

*Prima
est ad
Corinthios.*

VI. Scripsisse S. Paulum aliam Epistolam hæc priorem ad Corinthios, cum veteres, tum recentiores nonnulli, & inter hos etiam Lud. Capellus, Ligtfootus, Grotius, ex 1. Cor. V. 9--11. ubi *le scripsisse in Epistola, ne commisceantur cum scortatoribus: nunc autem scripsisse &c.* ait; colligunt. At solvit argumentum Chrylostomus, asserens, ad v. 2. & 7. hujus ipsius capituli Apostolum respicere. Nec obstat illud *vñ ðè nunc autem*: utpote quod non semper nota est temporis, sed transitionis quandoque, q. d. *Cum scriberem ad vos, vitandos esse scortatores, non Ethnicos intellexi, sed Christianos.* Quicquid sit, tota Antiquitas præter duas hæc aliam nec vidit, nec admisit unquam. Et doctrinæ ac institutioni nostræ hæc abundè sufficiunt.

Partes.

VII. Præter introitum Epistolæ, septem potissimum partibus majoribus ea absolvitur. Nam *primò* Corinthios reprehendit ob schismata, ex simulatione Doctorum orta, iisque concordiam & unitatem suadet, cap. I--V. *Secundò* eosdem ob neglectum disciplinæ circa incestuosum, lites forenses & scortationes redarguit, iisque puritatem vitæ, æquitatem & disciplinam commendat, cap. V. VI. *Tertiò* ad quæstionem de virginitate & nuptiis respondet, cap. VII. *Quartò* de idolothyti, habitu mulierum in Ecclesia, de ordine & decoro in Ecclesia communionem mensæ Dominicæ agit, cap. VIII--XII. *Quintò* de discrimine & usu donorum spiritualium præcepta tradit, Cap. XII--XV. *Sextò* eos in fide resurrectionis mortuorum confirmat, cap. XV. *Septimò* denique Epistolam concludit, cap. XVI.

I. Ob-

I. *Objurgatio Corinthiorum propter schismata, & ad unitatem conservandam adhortatio. Cap. I-V. Ubi S. Paulus*

Epistolæ I. ad Corinth.

1. Post proœmium, in quo Epistolam inscribit, Corinthios salutatur, & iisdem de gratia Dei & donis eximiis gratulatur, (9.) à schismatibus eosdem dehortatur. (12.)
2. Rationes cavendi schismatis, & conservandæ unitatis promittit, cujusmodi sunt

Objurgatio ob schismata. Cap. I.

a. Quòd per schismata dividatur Christus, nec nominari possit nisi is, cujus sumus, & in cujus nomen baptizati sumus, (17.) quòd ita prædicaverit Christum, ut ansam aliud docendi non habeant; ubi à se sapientiam sermonis removet.

a. Ne evacuatur crux Christi, quæ pereuntibus quidem stultitia, (23.) at vocatis Judæis & Græcis Dei potentia & sapientia est; imprimis vocatis non sapientibus, nobilibus, sed ignobilibus. (31.)

b. Quia eminentia sermonis & sapientiæ cum testimonio Dei & fide in illud pugnat, (5.) ipsaque sapientia Dei omnem captum humanum superans, (9.) per solum Spiritum Dei revelatur; (13.) adeoque non à carnalibus, sed spiritualibus solis percipitur. (16.)

b. Quòd schismata indicium præbeant hominis non spiritualis, sed carnalis, (4.) quòd benedictio, incrementum & structura omnis sit à Deo, non Paulo, Apollo, &c. ministris Dei; (9.) & fundamentum jam positum sit ejusmodi, ut præter illud poni aliud nequeat, licet ei superstruatur diversimodè; (15.) quòd Ecclesia Dei domus & templum sit, à nemine impunè destruendum, (17.) quòd sapientia mundi sit stultitia apud Deum, (20.) nec conveniat cuiquam gloriari in hominibus, cum omnia nostra sint, & nos Dei. (23.)

c. Quòd homines non sint nisi ministri Dei, & judicandi simus non ab ullo homine, sed à solo Christo; (5.) quòd non conveniat sapere nisi ex scriptura; (6.) quòd nemo de se gloriari possit, cum omnia data sint à Deo, (7.) quòd nullus homo satiet, ditet, quin potius ipsi Apostoli in mundo injuriis omnium expositi sint; (17.) ubi obiter adventum suum ad retundendos inflatos promittit. (21.)

II. *Objurgatio Corinthiorum ob neglectam disciplinam circa incestuosum, lites forenses, & impuritatem vitæ. Cap. V. VI. Ubi*

Ob neglectum disciplinam

1. Paulus Corinthios incestuosum non tollentes objurgans, (2.) aperit decretum suum de eo Sathanæ tradendo, eò quòd exiguum fermentum massam totam corrumpat, (8.) simulque docet, cum quibus scortatoribus

5.

Epistola

I. ad

Corinth.

6.

se commiscere non debeant, nempe Christi nomen professis, non exoticis. (12.) cap. 5.

2. Eosdem ob lites sibi invicem coram infidelibus intentatas oburgans, jubet lites amicè à fratribus componi, (8.) sanctitatem & puritatem vitæ commendat ob pœnam impurorum, (11.) usum rerum mediarum ostendit, (12.) sobrietatem (14.) & castitatem, cum Templum sint Spiritus Dei, suadet. (20.) cap. 6.

III. De cœlibatu & nuptiis.

7.

III. *Responsio ad questionem de virginitate & nuptiis.* Cap. VII.

Ubi S. Paulus utilitatem nuptiarum docens, (2.) mutua cohabitationis officia conjugibus injungit, (7.) conjugium suadet iis, qui continentiae donum non habent; idque indivulsum, (11.) etiam inter conjuges fidelem & infidelem, nisi infidelis se separet, (16.) circumcisis, servis suadet, ut ambulent, sicut vocati sunt; (24.) cœlibatum suadet ob instantem necessitatem, (31.) commodumque serviendi Deo ἀπεργασίας; (35.) eum, qui nuptum daturus est filiam suam, informat; (38.) & viduæ libertatem ad vota secunda explicat. (40.) cap. 7.

IV. De Idolothytis.

IV. *Instructio de idolothytis, habitu mulierum in Ecclesia, & communione mensæ Dominicæ.* Cap. VIII.

XII. Vide instructionem

1. De idolothytis, cap. 8: 1-11. Ubi

2.

a. Præfatus de scientia, quod idolum nihil est, & unus sit dominus, unâ cum ea scientia etiam charitatem requiri docet, (6.) & quod charitas illa suadeat, ne offendiculum infirmo ponatur, potiusque esus idolothytis omittatur, asserit. (13.) cap. 8.

3.

b. Charitatis hujus proximum ædificantis seipsum typum faciens, suam quoad esum & potum, (4.) circumducendam uxorem, (5.) & stipendium accipiendum potestatem ita exponit, (12.) ut ostendat, se potestate illa non usum, neque usurum in detrimentum Evangelii, (18.) & liberum licet, omnibus tamen se accommodasse, ut lucretur infirmos, (23.) athletæ instar continentem, & contudentem se ipsum, ne aliis prædicans reprobis ipse fiat, (27.) c. 9.

10.

c. Idolothytorum esum dissuadet à periculo idololatriæ, ubi proposito Israëlitarum typo, qui non minus illuminati, miraculis & sacramentis confirmati in illam inciderunt, graviterque puniti sunt, (11.) cum non minores tentationes etiam fidelibus imminerent; (14.) demonstrat, idolothytorum esum idololatriam esse, quia communionem cum idolis, sicut Cœna Domini cum Christo, victima cum altari, sacrificia gentilium cum diabolo, communionem importat, & cum communionem mensæ Domini ἀσὺς ἄρτος est, Christumque ad zelum provocat, (22.) denique quæstionem ita concludit, ut doceat, omnia licita esse, sed non ædificare, licerèque aded carnibus vesci sed

sed non, si constet, idolis immolatas esse, idque ob
 conscientiam infirmi, ne blasphemetur nostra gra-
 tiarum actio, cùm omnia ad Dei gloriam fieri de-
 beant. (33.) cap. 10. Epistola
I. ad
Corinth.

2. Die habitu virorum & mulierum in Ecclesia, ubi laudatis
 Corinthiis ob retentas traditiones, (2.) ostendit, virum
 capite aperto, & mulierem velato capite prophetare
 oportere, quia vir operto capite prophetans caput
 suum, Christum; mulier aperto capite prophetans caput
 suum, maritum ignominiam afficit, (13.) ipsaque natura
 docet, non virum, sed foeminam comam, velamenti in-
 star, ornari. (16.) cap. 11: 1-17. 11.
3. De Sacra Synaxi. ubi Corinthiis, quod in Ecclesia
 convenientes schismata alant, & in Cœnæ sumptione
 se invicem non expectent, reprehensis, (22.) Christi de
 Eucharistia institutionem repetit, (26.) dignaque com-
 municandum docet. (34.) cap. 11: 17-5.

V. Instructio de spiritualibus. Cap. XII--XV. Ubi V.

1. S. Paulus donorum spiritualium authorem Spiritum S. De spi-
 ejusque cognoscendi regulam pandens, (3.) eorundem rituali-
 distributionem per unum spiritum explicat, (11.) & si-
 militudine corporis unius, ob diversorum ejusdem
 membrorum, diversisque membrorum usus, ad salutem
 mutuam conspirantis docet, per diversa charismata
 corpori Christi non scindi, (14.) sed ad mutuos usus illa
 dirigi, (27.) subnexa serie ministeriorum, propter quæ
 dona spiritualia distinctè tribuantur. (31.) cap. 12. 12.
2. Charitatis excellentiam commendat, ceu linguis, pro-
 phetia, erogatione bonorum potioris, (3.) eximius fru-
 ctibus abundantis, (7.) permanentis, cùm prophetia,
 linguæ, cognitio abolendæ sint, (12.) & inter ea dona,
 quæ in altera vita manebunt, potioris. (13.) cap. 13. 13.
3. Inter reliqua dona præ linguis commendat prophe-
 tiam, utpote quâ ædificantur homines magis quàm li-
 guarum non intellectarum usu (13.) unde linguis lo-
 quentem orare jubet, ut possit interpretari, ne id quod
 Spiritus S. in mente operatur, sit absque fructu, utque
 ad benedictionem ejus idiota Amen dicere possit; (19.)
 ostendens, linguas infidelibus datas esse in signum,
 (22.) sinistrique judicaturum peregrinum, si intrans
 Ecclesiam linguas audiat, (25.) denique etiam usum
 doni linguarum, (28.) & prophetiæ ostendit, (35.)
 Spiritus privatos coërcet, (38.) & doctrinam de spiri-
 tualibus claudit. (40.) cap. 14. 14.

VI. Corinthiorum confirmatio in articulo fidei de re- VI.
 surrectione mortuorum. Cap. XV. De re-

Ubi resurrectio mortuorum tum probatur, ut certò futura
 argumento resurrectionis Christi, (22.) regni ejus-
 dem, (28.) baptismi pro mortuis, (29.) fructu certo
 pietatis & patientiæ, (34.) simulque vindicatur adver-
 sus objectionem, quod idem corpus resurgere nequeat,
 (38.) ubi etiam, qualia corpora resurrectura sint, ex-
 ponit. 15.

Epistola ponitur: (57.) tum doctrina illa ad usum revocatur.
I ad (58.) *cap. 15.*

Corinth. VII. *Epilogus Epistolæ.* Cap. XVI.

VII. Ubi post excitationem ad collectas pro sanctis Hierosolymitanis, (4.) & adventus sui promissionem, (9.) Timotheum & Apollinem commendat, (12.) ad vigilantiam, constantiam &c. hortatur, (14.) Stephanam commendat, (18.) salutationes perscribit, (21.) Jesu Christi amorem graviter inculcat, (22.) & voto claudit. (24.) *cap. 16.*

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ I. AD CORINTHIOS.

Partes.

I. De Schismatibus, & unitate conservanda, cap. I.-V. ubi

1. *Proœmium & debortatio à schismate, c. I: 1-13.*

2. *Rationes cavendi schismatis,*

a. *Quòd per ea Christus dividatur, in hominem non simus baptizati, quòd Christum predicaverit non in sapientia sermonis,*

a. *Ne evacuetur crux Christi, c. I: 13--f.*

β. *Quia sapientia Dei omni captu superior,*

c. 2.

b. *Quòd schismata indicium sint carnalium, solus Deus non homines benedicant, unum sit fundamentum, c. 3.*

c. *Quòd homines sint ministri Dei, in quo solo gloriandum, &c. c. 4.*

II. De scandalis, cap. V.--VII.

1. *Quoad incestuosum toleratum, c. 5.*

2. *Quoad lites forenses, & impuritatem vitæ, c. 6.*

III. De virginitate & cœlibatu, cap. VII.

IV. De idolothytis, habitu prophetantium, Cœna Domini, cap. VIII---XII.

I. *De idolothytis, c. 8--11. ubi*

a. *Comedentes idolothyta contra charitatem peccare docet, c. 8.*

b. *Suo exemplo libertatis moderationem suadet, c. 9.*

c. *Idolothytorum esum idololatria periculum fovere ostendit, c. 10.*

2. *De*

2. De habitu virorum & mulierum prophetantium, *Epistola I. ad Corinth.*
 (C. II: 1--17.

3. De Cæna Domini, c. II: 17--f.

V. De Spiritualibus, cap. XII--XV. ubi

1. Eorum auctorem, varietatem & usum monstrat, c. 12.
2. Charitatis dona ad edificationem dirigentis excellentiam asserit, c. 13.
3. Donum prophetiæ in nota lingua commendat, c. 14.

VI. De resurrectione mortuorum, cap. XV.

VII. Epilogus Epistolæ, cap. XVI.

Interpretes Epistolæ prioris ad Corinthios.

- S. PATRES. Scorsim nulli.
- REFORMATI. Bierman, Heideggerus, Martyr, Meyerus, Musculus, Pareus, Zwinglius. *Angli.* Lighthfoot, Mortonius, Rollocus, Sclatër, Sampson, Sibbesius.
- AUGUSTANI. Andreas, Calixtus, Hoekerus, Lutherus, Melancton, Mylius, Pappus, Rungius, Weinrichius, Spangenberg / Spener.
- PONTIFICII. Contzen, Covillonius, Hoffmeisterus, Stevartius, Stapletonus, Valdesius.
- Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & Epistolarum S. Pauli omnium, cap. VIII. Lit. A.

CAPUT X.

DE

Epistola posteriore ad Corinthios.

BREVIARIUM.

Inscriptio Epistolæ. Achaja quæ fuerit tempore S. Pauli? 1. Cur Timotheum in inscriptione sibi S. Paulus junxerit? 2. Subscriptio. In Macedonia scriptam, & per Titum ac Lucam missam Epistolam videri. 3. Occasionem exarandæ Epistolæ Pseudapostolorum calumniæ, aliâque præbuerunt. 4. Argumentum Epistolæ. 5. Tem-

Epistola
II. ad
Corinth.

us scriptæ Epistolæ, annus scilicet Epistolam priorem scriptam sequens, eruitur. 6. Partes Epistolæ duæ sunt. I. Narratio itineris S. Pauli, & quæ ei passim obtigerunt, inspersis digressionibus variis. (cap. 1-10.) II. Apologia S. Pauli, quâ is Apostolatam potestatemque sibi commissam tuetur. (cap. 10--f.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ. 7.

Inscri-
ptio.

I. Isdem, quibus superior, hæc quoque Epistola inscripta est, Corinthiis seu τῆ ἐκκλησία τῆ Θείῃ τῆ ἔση ἐν Κορίνθῳ, Ecclesiæ Dei, quæ Corinthi est:

& insuper τοῖς ἀγίοις πᾶσι τοῖς ἔσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαιῶν, sanctis omnibus, qui sunt in tota Achaja, cap. I. 1.

Achaja.

Satis latè autem eo, quo Apostolus scripsit, tempore, in Poloponneso & extra eam, Achaja patebat, metropoles habens Corinthum & Athenas, in qua posteriori est ἐκὼς speciatim dicta, Act. XX. 2. Et tam latè patebat Achaja, quàm latè civitates foederi Achæorum innexæ porrigebantur.

Timo-
theus
Paulo
iunctus.

II. S. Paulus Epistolæ author in inscriptione sibi jungit Τιμόθεον τὸν ἀδελφόν Timotheum fratrem, cap. I. 1. quod in aliis quoque Epistolis, puta ad Philippenfes, Colossenses, Thessalonicenses facit, non quòd in componenda Epistola Paulo adiutor extiterit: sed tum honoris gratiâ, tum ut consensionem ejus cum ipso testatam faceret.

Subscri-
ptio.

III. Scriptam esse Epistolam ἀπὸ Φιλίππων τῆς Μακεδονίας, διὰ Τίτου καὶ Λουκᾶ, Philippis Macedonia, per Titum & Lucam, subscriptio communis habet. In Codice quodam vetustissimo pro διὰ Τίτου καὶ Λουκᾶ, legitur ὑπὸ Παύλου καὶ Τιμοθέου. In Codice verò Claromontano aliter quoque legitur: Ἡ πρὸς Κορινθίους β. ἐπληρώθη. Ἀρχεται δὲ ἡ πρὸς Γαλατίας. Ad Corinthios posterior absoluta est. Incipit verò Epistola ad Galatas. Præferenda tamen videtur prior illa, & communis, quia & in Macedonia, in qua Philippæ erant, scriptam, & per Titum ac Lucam missam esse probabile satis, de quo infra.

IV. Oc-

IV. Occasio scriptio-^{Epistola} nis hujus Epistolæ ex serie ^{II. ad} disputationis hujus optimè colligitur. Scripsit ^{Corinth.} nempe superiorem Epistolam, quâ Pseudapostoli, ^{Occasio.} aliique graviter offensi; alii verò, infirmi docilés- que, percepto inde fructu non exiguo, ædificati sunt. Pseudapostoli S. Paulum denigrare moliti, crucem ei, mendacia, affectatam in Ecclesiam tyranmidem, imposturam, verbi Dei depravationem objecerant. Pii verò, ut suus ei honos constaret, & salva authoritas maneret, operam dederant. Sic S. Paulus illorum vanitatem retundere, horum verò infirmitati ulterius consulere curæ habuit.

V. Non simplex verò, sed multiplex Epistolæ ^{Argu-} hujus argumentum est. Nunc enim S. Paulus iti- ^{men-} nera & varia eventa in iis commemorat: nunc ob- ^{tum.} jectionibus & calumniis malevolorum respondet: nunc ad pietatem, eleemosynas erogandas hortatur: nunc sibi authoritatem Apostolatus vendicat, & quò pertineat Ecclesiastica potestas, quæ ipsi ad ædificationem, non ad destructionem data sit, ostendit. Partim igitur se defendit, partim hortatur, partim consolatur, partim demonstrat. Et hoc peculiare habet, quò de itinere suo loquens, & causas impediti adventus sui, quem 1. Cor. XVI. 3. promiserat, recensens, quasi ἐν παράδοξοι doctrinas utilissimas interferit, & divinitatem legationis suæ comprobatur, ut cum ipso Pseudapostolos, aliósque se in coetu supra cæteros elevantes contendere possent, Ecclesiâque Christiana impostero etiam ambitione & elevatione tali tentanda, typum & ideam, ad quam se componat, haberet.

VI. Neque statim post priorem, neque multò ^{Tempus} post Epistolam hanc S. Paulus scripsisse videtur. ^{scriptio-} Cùm enim Epheso, ubi priorem Epistolam scri- ^{nis.} psit, Macedoniam peragraturus solveret, occurrit illi in Macedonia Titus, quem Corinthum præmiserat, quò eorum pœnitentiam, & quo modo prior Epistola excepta sit, exploraret, 2. Cor. VII. 5. Cùmque Apostolus à Macedonibus collectas recepisset, rursus Titum è Macedonia ad Corinthios mittit, 2. Cor. VIII. 6. 15. 16. atque unà cum

Epistola
II. ad
Corinth.

eo fratrem eum, *cujus laus erat in Evangelio per omnes Ecclesias*, hoc est, Lucam, v. 18. 19. hunc in finem, ut Corinthiorum collectas in adventum Pauli paratas 2. Cor. IX. 3. 4. 5. curarent. Ac per hos duos missa hæc Epistola videtur, scripta, dum Macedoniam S. Paulus peragraret, adeoque sequente post scriptam priorem anno. An verò Phillippis, uti subscriptio fert, an ex alia Macedonia urbe, puta Nicopoli, uti Baronius pertendit, scripta sit, certò definiti nequit; quanquam Nicopoli scriptam non esse, probabilibus argumentis Ludov. Capellus *App. ad Hist. Apost. pag. 72.* adversus Baronium ostendit.

Partes. VII. Ordo Epistolæ, ob digressiones varias, easque saluberrimas, in quibus se ipsum purgat, alios consolatur, hortatur, docet; accuratè constitui nequit. Duabus tamen partibus haud incommodè describi potest. *Primò* nempe narrat non pauca de suo itinere per Asiam, Macedoniam, & iis, quæ ipsi illic evenère, inspersis digressionibus variis, cap. I-X. *Secundò* Apostolatam suam dedità operâ, comparans se cum aliis doctoribus, tuetur, cap. X--f.

I.
Narratio itineris.
Cap. I.

I. Narratio itineris S. Pauli, & quæ ei passim obtigerunt, inspersis digressionibus variis, cap. I--X. Vide

1. Narrationem eorum, quæ obtigerunt in Asia. Cap. 1: 15.

Ubi gratias Deo, qui suis in cruce adest, actis, (7.) quanta in Asia passus sit, (9.) Deo se clementer defendente, (10.) exponit, & spem de Corinthiorum precibus pro se, earumque efficacia, ob bonam conscientiam, quòd sincerè cum iis egerit, indicat. (14.) cap. 1: 15.

2. Narrationem causarum, ob quas ad Corinthios non venit, cap. 1: 15--2: 12.

a. Non quòd leviter egerit, promissis non stando, cum prædicatio sua apud Corinthios firmissima extiterit, (22.) sed ut parceret Corinthiis, ceu non dominaturus fidei illorum, verùm lætitiæ cooperaturus. (24.) cap. 1: 15--f.

3.

b. Ne tristitiâ eos afficeret, (3.) ubi jubet, ut incestuosum poenitentem in gratiam recipiant, (11.) cap. 2: 1--12.

3. Narrationem cepti in Macedoniam itineris. cap. 2: 12--7: 5. Ubi

a. Narratur causa, ob quam Troade relicta in Macedoniam iter promovit, quia Troade Titum non reperit, (13.) cap. 2: 12--14.

b. Di-

- b. Digressio instituitur, in qua S Paulus
- a. Deo gratias agit, quòd odorem cognitionis suæ suã operà ubique spargit. (16.) suãque in præconio sinceritatem contestatur. (17.) *cap. 2: 14. f.*
 - β. Sinceritatem sermonis sui testimonio ipsorum Corinthiorum comprobans, (3.) eam ad Dei dignationem refert, (6.) & ministerium Novi Testamenti sibi demandatum, collatum cum ministerio V. T. (11.) sibi loquendi libertatem, secus quàm lex Mofi fecerat, conferre asserit. (18.) *cap. 3.*
 - γ. Modum prædicationis suæ in sinceritate & claritate veritatis, (6.) non tamen sine multiplici infirmitate & patientia, ad gloriam Dei & salutem Ecclesiæ consistere (18.) docet. *cap. 4.*
 - δ. Spem gloriæ cœlestis fidei Ministris, adversa patientibus paratæ amplificans, (11.) ostendit, cum gloria Evangelii nihil commune habere gloriationem in facie, sed gloriationem in corde, novamque creaturam in Christo, (18.) cujus Deo nos reconciliantis ministri sint, qui Evangelium prædicant. (21.) *cap. 5.*
 - ε. Ad gratiam Dei, quam ministri prædicant, amplectendam adhortatus, (2.) vetat ministris verbis scandalum dare, (3.) jubetque, se ipsos in omnibus, patientia, labore, virtute, sermone veritatis, potentia Dei, quam in armis, effectis verbi apud alios & se ipsos in adversis demonstrat, commendant, ut Dei ministros (10.) vicissim Corinthios etiam, ut ministerio suo parcant, ne alienum jugum trahant, hortatur. (18.) *cap. 6.*
 - ζ. Hortatus ad iniquationem omnem fugiendam, se purgat ab omni suspitione tyrannidis, suumque erga eos affectum & lætitiã testatur. (4.) *cap. 7: 1--5.*
4. *Narrationem adventus in Macedonia. cap. 7: 5--10.*
Ubi
- a. Adventus in Macedonia, & in ea gaudium ex præsentia Titi, (6.) ejusque consolatione super Corinthiis relata, conceptum, (13.) nec non Titi ipsius gaudium ex Corinthiorum affectu erga se perceptum (16.) exponitur. *cap. 7: 5--f.*
 - b. Prædicata Macedonum in afflictionibus alacritate animi, & liberalitate erga pauperes sanctos, (6.) ipsos Corinthios ad liberalitatis imitationem, proposito Christi exemplo exhortatur, (9.) & post commendationem æquabilitatis servandæ, (15.) Titum & alios quosdam fratres Corinthiis commendat. (24.) *cap. 8.*
 6. Laudato Corinthiorum affectu liberalitatis (2.) monet suadetque, ut in adventum suum sint parati, (5.) & eosdem ad candidam liberalitatem argumentis validissimis invitans, (24.) in gratiarum actione finit. (25.) *cap. 9.*

- Epistola II. ad Corinth. II. Apologia Pauli.*
- II. *Apologia S. Pauli, quâ is Apostolatam potestatem- que sibi commissam tuetur. Cap. X--f. Ubi*
1. Rogans, ne præsens confidentiâ uti debeat adversus eos, qui secundum carnem ambulare dicebantur, (2.) Apostolatam armis carnalibus geri negat, (6.) ostentantes pulchram speciem, quod Christi sint, refutat, (7.) potestatem sibi à Domino concessam asserit, (11.) Pseudapostolos, ut se ipsos sibi stultè comparantes irridet (12.) iisque missionem Divinam cooperante Divina comprobati opponit, (16.) & in solo Domino gloriationem suadet. (18.) cap. 10.
2. Hortatus eos, ne se sinant à Pseudapostolis decipi, & à Christo sponso abduci, (4.) contemptus sui causas haud justas esse ostendit, (12.) Pseudapostolis larvam detrahit, (15.) & se cum iis, in iis rebus, in quibus gloriarî aut se commendare poterant, comparans, iis multum antecellere probat. (33.) cap. 11.
3. Revelationes cœlestes, tentationes & ærumnas suas exponens, (9.) infirmitatem suam agnoscit, (10.) signa Apostoli insinuat, (12.) quod Corinthiis gravis non fuerit, ostendit, (18.) metumque suum de eorum conturbatione & impœnitentia indicat. (21.) cap. 12.
4. Corinthiis ferocientibus severiorem vindictam, nisi ante adventum suum resipiscant, denuntians, (4.) jubet, ut unusquisque se exploret, an sit in Christo, studeantque omnes, ut probi rectique inveniantur, quicquid de sui existimatione fiat, (10.) atque ita adhortatione, salutatione & voto claudit. (13.) cap. 13.

TABULA SYNOPTICA POSTERIORIS AD CORINTHIOS.

Partes.

- I. Narratio itinerum S. Pauli, inspersis digressio- nibus variis, cap. I--X. ubi sunt
1. Narratio eorum, quæ S. Paulo in Asia obtigerunt, c. 1: 1--15.
2. Causæ impediti adventus
- a. Non levitas, sed ut Corinthiis parceret, c. 1: 15--f.
- b. Ne tristitia eosdem afficeret, c. 2: 1--12.
3. Iter in Macedoniam, c. 2: 12--7: 5. ubi
- a. Causa itineris in Macedoniam, c. 2: 12--4.
- b. Digressio, ubi
- a. Sinceritatem Evangelii sui commendat, c. 2: 14--f.

- β. Ministerium suum supra legis ministerium extollit, c. 3. Epistola
II. ad
Corinth.
- γ. Modum prædicationis in sinceritate, non sine multiplici infirmitate exponit, c. 4.
- δ. Spem gloria, & effectus ministerii asserit, c. 5.
- ε. Præcones Evangelii & Corinthios officii monet, c. 6.
- ζ. Se purgat à tyrannide affectata, c. 7: 1-5.
4. Adventus in Macedonia, c. 7: 5---10. ubi
- a. Adventus in Macedonia, gaudium ob Titum, affectus erga Corinthios, c. 7: 5---6.
- b. Exhortatio ad liberalitatem, exemplo Macedonum, Christi, &c. c. 8.
- c. Exhortatio ad promptas in adventum suum eleemosynas, c. 9.

II. Apologia pro se, cap. X--f. ubi

1. Ministerii sui efficaciam, & æmulum vanitatem monstrat, c. 10.
2. Ad fidem Christo sponso præstandam hortatus, se cum æmulis variè confert, c. 11.
3. Revelationes sibi factas, & infirmitatem propriam, fidemque erga Corinthios recenset, c. 12.
4. Severitatem in adventu minatus, claudit, c. 13.

Interpretes Epistolæ posterioris ad Corinthios.

S. PATRES. Seorsim nulli.

REFORMATI. Heideggerus, Meyerus, Musculus, Prædinius, Zwinglius. Angli, Sclater.

AUGUSTANI. Calixtus, Melanchthon, Rungius, Weirichius.

PONTIFICII. Conzen, Hoffmeisterus, Stævartius, Stapletonus.

Addantur Interpretes omnium Librorum N. Test. Cap. I. nec non Epistolarum S. Pauli, Cap. VIII, Lit. A.



*Epistola
ad Galatas.*

CAPUT XI.

DE

Epistola S. Pauli ad Galatas.

BREVIARIUM.

Inscriptio Epistolæ. Galatæ, Gallo-Græci. 1. Subscriptio improbata. Non Romæ, sed Ephesi potius scriptam videri. 2. Occasio & argumentum Epistolæ. 3. Scriptam videri sub finem biennii Ephesini, paulò antè utramque ad Corinthios. 4. Partes Epistolæ duæ sunt. I. Defensio veritatis Evangelii à S. Paulo prædicati, inprimis libertatis N. Test. à servitute legis. (cap. 1-5:13.) II. Admonitio de usu & abusu libertatis Christianæ. (cap. 5:13-f.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ. 5.

Inscri-
ptio. **I**nter Epistolas S. Pauli minores prima πρὸς Γαλάτας ad Galatas scripta est. Fuit Galatia Asiæ minoris provincia, cujus incolæ Galli, post Romam incensam advenæ, Græcis Paphlagonibus se miscentes, primùm Gallo-Græci, & Græco-Galli, post Galatæ dicti sunt. Ab Augusto in Provinciæ formam redacti sunt, Romanumque Præfectum acceperunt. Ad eosdem scripsit Petrus, vocans eos ἐκλεκτὸς παρεπιδήμιος διασπορᾶς, electos advenas dispersionis, 1. Pet. I. I. quod de Judæis intelligendum.

II. Subscriptio habet: ἐγράφη πρὸς Γαλάτας ἀπὸ Ῥώμης. Scripta est ad Galatas Romæ. Ita etiam Arabs & Syrus. Addit Arabs, missam esse per Timotheum. Quæ tamen non satis liquent. Si enim, uti post fidem faciemus, scripta est Epistola hæc sub finem biennii Ephesini, Romæ scribi non potuit, cum

cum circa id tempus Romam Apostolus non viderit. Leve verò est, quod cap. VI. 17. per stigmata intelligi ea, quæ Romæ passus est, nonnulli existimant, cum æquè intelligi possint de plagis & verberibus, quæ passus est, antequam Romam veniret. Alii igitur Antiochia post secundam Pauli peregrinationem: alii Epheso post tertiam scriptam probabilius autumant.

*Epistola
ad Ga-
latas.*

III. Occasionem scribendæ Epistolæ præbuit seductio Galatarum, qui à turbatoribus nonnullis inducti, Christiani nominis professioni circumcisionem adjungendam esse statuerunt. Hinc adeò Apostolus Galatas seductos in viam Regiam veritatis reducere conatus, iis veritatem Evangelii & conservationem libertatis Christianæ suadet, simulque libertati Christianæ adstructæ admonitionem, ne ea ad libertatem carnis abutantur, adnectit.

*Occasio
& argu-
men-
tum.*

IV. Epistolam hanc inter primas à S. Paulo scriptas Tertullianus *adversus Marc. lib. 1.* collocat. *Ab illo, inquit, Paulo, qui adhuc rudis in gratia, trepidans denique, ne in vacuum ducurreret aut curreret, tum primum cum antecessoribus Apostolis conferebat. Igitur si ferventer, ut adhuc neophytus adversus Judaismum aliquid in conversatione reprehendendum existimavit, passivum scilicet convictum, postmodum & ipso usu omnia omnibus futurus, ut omnes lacraetur, tu illam solius conversationis placituræ postea accusatori suo reprehensionem suspectam vis haberi.* Mature scriptam esse Epistolam à S. Paulo, nulli dubitamus: at scriptam esse primam omnium, parùm constat. Præcessisse enim utraque ad Thessalonicenses, & ad Titum videntur. Quibus exceptis ante reliquas omnes scripta hæc videtur sub finem biennii Ephesini, tum quia Gal. VI. 8. hortatur ad beneficentiam erga domesticos fidei, (Hierosolymitanos puta, Rom. XV. 25. 26.) idque, inquit, *ως και εν εχραειν, dum tempus habemus*, hoc est, dum occasio hæc offertur, cum jam Asia, Græcia & Macedonia videntur ad beneficentiam erga Hierosolymitanos conspirasse, & paratæ ubique collectæ sunt Hierosolymam deferendæ; unde etiam 1. Cor. XVI. 1. jubet Corinthios

Tempus

Epistola
ad Galatas.

thios in collectis faciendis sequi exemplum Galatarum; ut hanc Epistolam paulò ante priorem ad Corinthios scriptam esse, rectè inde colligatur: tum quia Gal. I. 6. S. Paulus queritur, Galatas tam citò in aliud Evangelium translatos fuisse. Conversi autem videntur tum, cum S. Paulus lubstrans τὰ ἀνωτέρω μέρη, superiores partes, Phrygiam scilicet & Galatiam, Ephesum profectus esset, Act. XVIII. 23. XIX. 1. Saltem cum ad Corinthios Epistolam scriberet, Galatas conversos fuisse, ex I. Cor. XVI. 1. colligitur. Sic igitur Epistola hæc anno Christi 59. post conversionem Pauli vicefimo quarto circiter scripta fuerit. Quem in annum Doctiss. Usserius etiam Epistolam hanc conijcit.

Partes.

V. Partes Epistolæ, si inscriptionem & epilogum dempseris, præcipuæ duæ sunt. Primò enim Apostolus veritatem Evangelii à se prædicati, inprimis libertatem Novi Testamenti tuetur. cap. I--V. 13. Secundò Libertatis Christianæ usum & abusum ostendit. cap. V. 13--f.

I.
Defensio
E-
vangelii

I. Defensio veritatis Evangelii à S. Paulo prædicati, inprimis libertatis N. Test. Cap. I--V. 13. Vide

Cap. I.

1. Defensionem generalem veritatis Evangelii à S. Paulo prædicati. cap. 1--3. Ubi

a. S. Paulus, præmissa inscriptione & salutatione, (5.) Evangelii sui, à quò Galatæ se transversos alabripi siverunt, veritatem graviter contestatus, (9.) e eandem asserit, tum inde, quòd Deum non homines sùadeat, (10.) tum inde, quòd Evangelium sibi non ab hominibus, sed à Deo immediate communicatum sifit, quia persecutor ante ita conversus sit, ut cum carne & sanguine non consultaverit, (16.) & Hierosolyman non ascenderit, nisi post triennium, ubi solum Petrum & Jacobum viderit, & post in Syriam & Ciliam se contulerit, Judæis ignotus (24.) cap. 1.

b.

b. Evangelii sui veritatem eò probat, quòd post quatuordecim annos Hierosolyman veniens illud columnis Ecclesiæ approbaverit, (10.) quòdque etiam illud Antiochiæ, Petro, & sociis non rectè incedentibus, in os resistens, defenderit, asserens, non operibus, sed sola fide justificari hominem, (18.) sècque legi mortuum, ut vivat in Deo & Christo, (20.) gratiæque Christi accepta omnia referre. (21.) cap. 2.

2. Defensionem libertatis Christianæ a legis iuggo. cap. 3--5: 13. Ubi S. Paulus

3.

a. Graviter increpitis Galatis libertatem demonstret, eò, quòd Spiritum acceperint, non ex operibus, sed ex

auditum

DE EPISTOLA AD GALATAS. 563

auditu fidei, (5.) filii Abrahami sint per fidem, (7.) *Epistola ad Galatas.*
gentes fideles benedicantur cum fideli Abrahamo, adeoque sub lege non sint, alioqui non benedictæ futuræ, sed maledictioni obnoxie, (13.) hæreditas gentium non ex lege, sed ex promissione pendeat, (18.) lex denique, ob transgressiones superveniens licet, & pædagogus licet ad Christum, promissionem tamen irritam non reddat. (29.) *cap. 3.*

b. Parabolâ de filio-familias, hærede quidem, at servis subiecto, docet, olim filios licet, servos tamen fuisse fideles, nunc misso filio Dei propitiatore peccati; filios tantum, legi non amplius obnoxios, (7.) proin ad infirma mundi elementa revertendum iis non esse (20.) quod aliâ etiam figurâ, duorum scilicet filiorum Abrahami, Isaci & Ismaëlis, quorum ille ex Sara libera, hic ex Hagare ancilla genitus est, adumbrat. (31.) *cap. 4.*

c. Libertatem Galatis disertè commendat, absque quo futurum sit, ut Christus iis parùm profit, utpote in quo solo fides per charitatem efficax valeat, (6.) increpitis iterum Galatis, quorum tamen culpam turbatoribus imputat. (12.) *cap. 5: 1--13.*

II. Admonitio de usu & abusu libertatis Christiana.

Cap. V. 12--f. Ubi S. Paulus

1. Vetans libertate abuti in occasionem carnis, (13.) commendat tum servitutem mutuam charitatis, (15.) tum ambulationem in spiritu pugnante cum carne, & à lege liberante, (18.) cum fructus spiritus, quibus & carnis fructus opponit, hominem à lege damnante liberent, & crucifixionem carnis post se trahant. (26.) *cap. 5: 13--f.*

2. Præcepta præscribit de errantibus à spiritualibus leniter in viam revocandis, (2.) ambitione vitanda, (3.) opere proprio explorando, (5.) gratitudine erga docentes, (8.) perseverantia in bono opere & beneficentia, (10.) simulque Epistolam studii & affectus sui demonstratione, (11.) latâ adversus circumcisionis architectos sententiâ, (16.) molestiæ ulterioris deprecatione, (17.) & voto (18.) claudit. *cap. 6.*

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ AD GALATAS.

Partes.

I. Defensio Evangelii & libertatis à se prædicatæ, cap. I--V: 13. Ubi est

1. Defensio Evangelii, c. 1--3. ubi

a. Evangelium suum asserit, utpote non ab hominibus, sed à Deo solo haustum, c. 1.

b. Nec non à primariis Apostolis comprobatum, & adversus Petrum aliòsque defensum, c. 2.

Epistola
ad E-
phesios.

2. Defensio libertatis Christianæ, c. 3--5: 13. ubi
 a. Libertatem demonstrat eò, quòd sint filii Abra-
 hæ, hæredes ex promissione, c. 3.
 b. Parabolâ filii tutoribus obnoxii, & figurâ
 filiorum Abrahæ eandem asserit, c. 4.
 c. Eandem inde probat, quòd sine ea Christus iis
 non profit, c. 5: 1--13.
- II. De usu & abusu libertatis, cap. V: 13--f. ubi
 1. Vetans abusum libertatis, commendat charitatem
 & ambulationem in spiritu, c. 5: 13--f.
 2. Præcepta vitæ præscribit, clauditque, c. 6.

Interpretes Epistolæ ad Galatas.

S. PATRES. Augustinus, Hieronymus.

REFORMATI. Gomarus, Grynæus, Megander, Mejerus,
 Mulculus, Nahum, Olevianus, Zwinglius, Dao, Pareus,
 Momma, Akersloet, Wayenus. Angli, Fergallon, Lus-
 hington, Rollocus, Perkinus.

AUGUSTANI. Battus, Betulejus, Brentius, Chytræus,
 Cogelerus, Cornæus, Heilbrunnerus, Hoë, Lutherus,
 Lyserus, Quistorpius, Spejus, Rutgerius, Thummus,
 Tilmannus, Weinrichius, Wigandus, Winkelmannus.

PONTIFICII. Conzen, Grimantus, Seripandus, Stævartius,
 Vasquez, Rorarius, Sasbout.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & Epistola-
 rum S. Pauli cap. VIII. Lit. A.

CAPUT XII.

DE

Epistola S. Pauli ad Ephesios.

BREVIARIUM.

Inscriptio Epistolæ. Ephesius inscriptam negavit
 Marcion. Grotii, Usserii de eadem Laodicensi-
 bus, Ephesius, aliisque simul inscripta opinio
 refellitur. 1. Ephesus urbs Asiatica, Jonum
 colonia, Dianæ multimammæ editua. Primus
 in ea Evangelium non S. Johannes, sed Paulus
 predicavit. 2. Subscriptio Romæ scripta, & per
 Tychi-

Tycticum missa est. 3. Occasio & scopus Episto-^{Epistola}
 le. 4. Argumentum ejusdem, informatio de^{ad E-}
 mysteriis fidei, & muneribus Christianæ vitæ 5. ^{phesios.}
 Scripta est à S. Paulo Romæ, in vinculis. 6.
 Partes duæ sunt. I. Mysteriorum fidei Chri-
 stianæ & salutis expositio. (cap. 1-4.) II. Mu-
 nera Christianæ vitæ, per quæ dignè ambulatur
 vocatione Christi. (cap. 4---f.) Interpretes
 Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, &
 Tabula Synoptica Epistolæ. 7.

I. **I**nscribitur hæc Epistola, inter Paulinas sem-^{Inscri-}
 per habita eximia: Παύλος τῆς Ἀποστόλου ἢ πρὸς Ἐφεσίους.
 Ἐφεσίους Ἐπιστολή. Pauli Apostoli ad Ephesios
 Epistola. A Paulo scriptam esse, dubium non est,
 Ephesiis verò inscriptam esse, jam olim Marcion
 negavit, Epistolæ ad Laodicenses nomine eam ven-
 ditans, uti Tertullianus lib. 5. contra Marcionem
 cap. 11. & 17. nec non Epiphanius heres. 42. indi-
 cant. Atque id ex fide Ecclesiæ Laodicensis factum
 à Marcione, credibile existimat Hugo Grotius,
 indèque colligit, eodem planè tenore scriptam esse
 ad Ephesios simul & Laodicenses Epistolam. No-
 tâtque etiam Doctiss. Usserius ad A. C. 64. in anti-
 quis nonnullis Codicibus, uti ex Basilii lib. 2. ad-
 versus Eunomium, & Hieronymi in hunc Apostoli
 locum Commentario appareat, generatim inscrip-
 ptam fuisse hanc Epistolam, mediâ lacunâ, τοῖς
 ἁγίοις, τοῖς ἁγίοις, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, sanctis, qui
 sunt . . . & fidelibus in Christo Jesu, ac si Ephelum
 primò, præcipuam Asiæ metropolim, missa ea
 fuisset; transmittenda inde ad reliquas (interfertis
 singularum nominibus) ejusdem Provinciæ Eccle-
 sias: ad quarum aliquas, quas Paulus ipse nun-
 quam viderat, ejus verba cap. I. 15. III. 2. 4. potissi-
 mùm spectaverint, cùm S. Paulus Ephesios certè
 viderit, & cum iis diu satis conversatus fuerit.
 Verùm fidem id omne nullam meretur, nec tem-
 merè credimus, lacunam talem fuisse, & ejusdem
 tenoris literas ab Apostolo ad diversas Ecclesias

Epistola ad Ephesios. missas fuisse. Quod Hieronymus vocat, *instar imperiti medici idem collyrium omnium agrorum oculis adhibere.* Proin exemplar, in quo fuit *ποῖς ἔστι* hominis negligentis vel sine causa dubitantis fuisse videtur.

Ephesus II. Ephesus Asiæ minoris urbs fuit maritima, Jonum colonia, Dianæ *πολυμάδης* *multimammie*, uti Hieronymus vocat, Templo celebris, *νεωκώρη Ἀρτέμιδος* *editua Diana*, Act. XIX. 35. idque ab antiquo: in qua proin superstitio & idololatria, quin & magica curiositas Act. XIX. 19. altas radices egere. De quo pluscula apud Cl. Zwinggerum *Theatr. Sap. Vol. III. lib. 9.* videre est. In ea urbe Johannem Apostolum primùm Ecclesiam plantasse, & Mariam *Θεοτόκην* aliquandiu habitasse, denique & Templum Dianæ Johannis virtute prostratum esse, incerta quorundam traditio est. A Paulo verò fundatam, à Johanne curatam, Irenæo *lib. 3. adv. hares. cap. 3.* dicenti fidem potiùs habemus; cùm prius illud historia Act. XIX. XX. abundè confirmet. Testatur etiam S. Paulus I. Cor. XVI. 8. 9. *Ostium sibi magnum & efficax Ephesi apertum esse*, adeoque multos ibi existerè dociles, idololatriam ejurare, & Christo se dedere paratos.

Subscriptio. III. Subscriptio ita habet: *πρὸς Ἐφεσίους ἐγγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικῆ.* *Ad Ephesios scripta est Romæ per Tychicum.* Romæ scriptam esse, arguit, quòd cap. IV. 1--VI. 20. disertè *vinculorum* suorum meminit. Et tabellionem fuisse Tychicum, cap. VI. 21. 22. non obscurè indigetatur.

Occasio IV. Prædixerat S. Paulus Act. XX. 29. 30. fore, ut post suum Ephelo discessum exoriantur *lupè graves, non parcentes gregi*, & ex ipsis Senioribus Ephesinis surgant *ἄνδρες λαλῶντες διεσραμμένα νινῆ loquentes perversa.* Id quemadmodum venerit, S. Johannes Apoc. II. 4. 5. utcunque docet. Proin S. Paulus, Romæ vinculis districtus, pro Ephesus sollicitudinem haud deponendam ratus, Epistolam hanc ad eos scripsit, quâ fidem & spem eorum confirmaret, simulque eos ad fructus fidei edendos, electionemque suam firmam faciendam excitaret.

citaret: denique eos adversus scandalum crucis, cum ipse victus esset, & diræ persecutiones passim fidelibus imminerent, muniret.

Epistola ad Ephesios.

V. Sic igitur celebratis Dei erga sanctos & fideles beneficiis, benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, pro Ephesiis preces ardentissimas interponit, ut Deus illos spiritu suo illuminare dignetur. Quò magnitudinem potentæ Divinæ in ipsos, gratiæ in consortio sanctorum, & spei vocationis suæ agnoscere valeant, denique eos, ut dignè ambulent vocatione, quâ vocati in Christo sunt, gravius adhortatur.

Argumentum.

VII. Scriptam esse Epistolam, priusquam S. Paulus Ephesios vidit, jam olim Athanasius in Synopsi, eumque secutus Scholiastes Græcus, statuit. Rectius Theodoretus post visos eosdem, & ab ipso conversos scriptam asserit. Scripta quippe est ex vinculis, cap. III. 1. VI. 20. adeoque Romæ, ubi in vinculis agitabat. Prius autem Ephesi fuisse, ibique Evangelium prædicasse, quàm Romam captivus abduceretur, series historiæ Act. XIX. XX. abundè docet.

Tempus

VII. Præter inscriptionem & clausulam duas partes tractatio ipsa, puta *διδασκαλία καὶ παραίνεσις*, complectitur. Primò enim mysteria fidei Christianæ & salutis exponit, cap. I--IV. Secundò munera seu officia vitæ Christo dignæ inculcat, cap. IV--f.

Partes

I. *Mysteriorum fidei Christianæ & salutis expositio.*

I. Mysteria fidei. Cap. I.

Cap. I--IV. Ubi S. Paulus

1. Epistolâ Ephesiis inscriptâ, & voto nuncupato. (2.) Deum celebrat ob benedictionem in spiritualibus, (3.) gratiam electionis in Christo, (4.) prædestinationem ad adoptionem, (6.) redemptionem & peccatorum remissionem, (7.) abundantiam sapientiæ & prudentiæ, (9.) recapitulationem omnium in Christo, (10.) communem Judæorum & gentium quasi per sortem in Christum implantationem, & ob signationem spiritus. (15.) cap. I: 1--16.
2. Precatur Ephesiis spiritum sapientiæ & revelationis, ut illuminatis oculis sciant, quæ sit spes vocationis, quæ divitiæ hæreditatis in sanctis, & quæ excellens magnitudo potentæ in credentes. (19.) Quæ singula illustrat, explicando
3. *potentiam erga fideles.*

Quòd sit par illi potentæ, quam operatus est in

Epistola
ad E-
phesios.

2.

Christo, eum ex mortuis excitando, exaltando, Ecclesie præficiendo. (23.) cap. 1: 19--f.

β. Quòd eadem potentia Ephesios in peccatis mortuos Christo convivificaverit, & in cœlestibus collocaverit, (6.) ut divitias gratiæ suæ, quæ solâ illis salus obtigit, ostenderet. (10.) cap. 2: 1--11.

b. *Hereditatem Dei in sanctis*, datam gentibus, ubi docet

α. Gentes olim in carne, sine Christo fuisse, & sine Deo in hoc mundo, (12.) nunc autem factos prope in sanguine Christi, (13.) utpote qui pace facta inimicitiam sustulit, & utrosque in uno corpore Deo per crucem reconciliavit, (16.) & annunciata pace (18.) eos fecit cives sanctorum, domesticos Dei, inædificatos fundamento Apostolorum & Prophetarum. (22.) cap. 2: 11--f.

3.

β. Singularem gratiæ Divinæ dispensationem factam esse erga gentes in eo, quòd Deus secundum revelationem sibi notificet mysterium de gentibus cohæredibus, (6.) quòdque mysterii illius ipse minister factus sit, ut gentibus impervestigabiles Christi divitias prædicet, omnesque illuminet, quæ sit communio mysterii, nunc demum potestatis & principatibus notificati, (12.) unde eosdem, ne in afflictionibus suis pro iis sequeantur, precatur. (13.) cap. 3: 1--14.

b. *Spem vocationis*. Ubi flexis genibus Deum invocatur, ut det iis robur interioris hominis, fidem in Christum, foundationem in charitate, & cognitionem dilectionis Christi, (19) simulque Deum glorificat. (21.) cap. 3: 14--f.

II.
Munera
vitæ.

4.

II. *Munera Christianæ vitæ, per quæ dignè ambulatur vocatione Christi*. Cap. IV--f. Ubi

1. Ephesios commendat unitatem spiritus in vinculo pacis, (3.) ubi vincula unitatis illius explicans (6.) mensuram diversam donorum ex Christi ascensione in Cœlum fluentium exponit, (10.) finemque ministerii à Christo in Cœlum ascendente instituti, ædificationem corporis Christi, donec perveniant omnes ad unitatem fidei, & cognitionis filii Dei, ad virum perfectum, indicat, (16.) ambulationem pristinam in vanitate mentis dissuadet, (21.) & depositionem vetusti hominis, renovationemque spiritus ad imaginem Dei suadet, (24.) mendacia, iram, furta, sermones putridos, amaritudinem, &c. vetat. (32.) cap. 4.

5.

2. Imitationem Dei, ambulationem in charitate præcipit, turpitudinem in dictis & factis, avaritiam, vanos sermones, cum non amplius tenebræ sed lux sint, (10.) communionem cum operibus infructuosis tenebrarum (14.) prohibet, ambulationem accuratam, prudentiam commendat, (17.) intemperantiam dissuadet, & sanctam hilaritatem suadet, (20.) denique reverentiam

erga

- erga superiores, (21.) uxorum erga maritos (24.) im- *Epistola*
perat, & maritis dilectionem uxorum, Christi Ecclesiam *ad E-*
diligentis exemplo, accuratè injungit. (33.) *cap. 5. phesios.*
3. Liberis obsequium erga parentes, (3.) parentibus *Cap. 6.*
mansuetudinem erga liberos, (4.) servis officia erga
heros, (8.) heris officia erga servos, (9.) omnibus cer-
tamen pro fide fortiter prudentèrque obeundum ex-
plicata immanitate hostium, (13.) & panoplia adversus
illos necessaria, (20.) præscribit, Tychicum de se fide-
liter omnia relaturum commendat, (22.) & vote
claudit. (24.) *cap. 6.*

TABULA SYNOPTICA EPISTO-
LÆ AD EPHESIOS.

Partes.

- I. Myſteria fidei, cap. I--IV. ubi eſt
1. *Celebratio Dei ob collatas benedictiones ſpiritua-*
les, c. 1: 1--16.
 2. *Precatio, ut cognoscant Ephesii*
 - a. *Potentiam Dei erga fideles, ubi eſt*
 - α. *Ejus comparatio cum ea potentia, qua*
Deus Chriſtum ſuſcitavit, c. 1: 16--f.
 - β. *Ejus vis in Ephesiiſ conviviſcandis Chriſto,*
c. 2: 1--11.
 - b. *Gentium hereditatem, ubi eſt*
 - α. *Gentium accessus ad Deum per ſanguinem*
Chriſti, c. 2: 11--f.
 - β. *Diſpenſatio Dei erga gentes in myſterio*
sibi revelato, & in ministerio ſibi credito,
c. 3: 1--14.
 - c. *Spem vocationis, ad cognoscendam dilectionem*
Chriſti, c. 3: 14--f.
- II. Munera vitæ, cap. IV--f. ubi eſt adhortatio
1. *Ad unitatem ſpiritus, mortificationem veteris, &*
vivificationem novi hominis, c. 4.
 2. *Ad charitatem, ſinceritatem vitæ, officia mutua*
conjugum, c. 5.
 3. *Ad officia mutua liberorum erga parentes, ſer-*
vorum erga Dominos, & certamen cum hoſtibus
ſpiritualibus, c. 6.

Interpretes Epistolæ ad Ephesios.

S. PATRES. Hieronymus.
REFORMATI. Amyraldus, Crocius, (Lud.) Megander,
Nn 5 Mu-

*Epistola
ad Phi-
lippenses*

Musculus, Nahum, Olevianus, Scultetus, Zanchius, Zwinger-
glius, Melchior, Knibbe. *Angli*, Raynus, Bodius, Fergaf-
son, Ridlejus, Rollocus, Binemannus.

AUGUSTANI. Battus, Bucerus, Hannekenius, Meelfürerus,
Weinrichius, Wellerus, Wigandus.

PONTIFICII. Naclantus, Quiros, Stævartius, Vasquez.
Addantur Interpretes Librorum omnium N. Test. cap. 1.
nec non Epistolarum S. Pauli cap. VIII. Lit. A.

CAPUT XIII.

DE

Epistola S. Pauli ad Philippenses.

BREVIARIUM.

*Inscribitur Epistola Philippensibus. Philippi urbs
prima partis Macedoniae. Ad eam visendam
Divinitus excitus S. Paulus, multa in ea presti-
tit. 1. Occasionem praebuere pecuniae per Epa-
phroditum ad illam misse. 2. Argumentum
multiplex. 3. laus Epistolae. 3. Scripta est Romae
ex vinculis prioribus, non posterioribus. 4. Par-
tes sunt quatuor. I. Testificatio amoris Pauli
erga Philippenses, usus vinculorum ejus, 3. ad
sanctam conversationem adhortatio. (cap. 1.)
II. Exhortatio ad unitatem 3. humilitatem,
salutem cum timore 3. tremore operandam,
3. commune gaudium. (cap. 2.) III. Praemo-
nitio à seductoribus, 3. directio ad sectandam
justitiam fidei, perfectionem, conversationem
caelesti civitate dignam. (cap. 3.) IV. Exhor-
tatio ad concordiam, consolatio 3. laudatio
beneficentiae. (cap. 4.) Interpretes Veteres,
Reformati, Augustani, Pontificii, 3. Tabula
Synoptica Epistolae. 5.*

*Inscri-
ptio.*

I. **S**cripta hæc Epistola est πρὸς Φιλιππησίους ad
Philippenses, seu sanctos omnes in Christo Jesu,
qui sunt ἐν Φιλιππῶσι Philippis, ἐν τῇ Ἐπισκοπῶσι

καὶ διακονοῖς, unà cum Episcopis & Diaconis, cap. I. v. i. *Epistola ad Philippenses*
 Fuerrunt autem Philippi urbs *περὶ τῆς μεσότητος* τῆς Μακεδονίας, prima partis Macedoniae, sive situ
 cis fluvium Strymonem, qui Macedoniam à Thracia dividebat, sive dignitate, ad quam S. Paulus à Viro Macedone noctu in visione sibi adstante, adeoque Divinitus excitus, Troade per Samothraciam & Neapolin profectus est, Act. XVI. 9. 10. &c. In ea urbe conversa est Lydia, Spiritus Pythonis è puella ejectus, Paulus & Silas virgis coëssi, & in carcerem trusi; commentariensis conwersus, & Paulus idem ac Silas à Magistratu honorificè educti sunt.

II. Occasionem Epistolam hanc Philippensibus *Occasio*
 scribendi dederant tum pecuniæ ad Paulum à Philippensibus missæ per Epaphroditum: tum ea, quæ ex Epaphrodito audiverat, de constantia Philippensium, & falsorum fratrum perfidia. Sicut autem Philippenses per Epaphroditum pecuniam miserunt ad S. Paulum, Phil. II. 25. IV. 10. 18. ita S. Paulus eundem Epaphroditum ad Philippenses remisit cum hac Epistola, cap. II. 28.

III. Agit Epistola hæc de rebus gravissimis. *Argumentum.*
 Charitatem suam erga Philippenses enixissimam declarans Apostolus, de fructu vinculorum apud eos differit: ad sanctam conversationem, concordiam, fortitudinem stimulat: Christum humilitatis exemplum proponit, ejusque tum humilitatem tum gloriam explicat: malos operarios, canes, concisionem insectatus, justitiam Dei veram à falsa justitia distinguit; perfectionem commendat, docens, quomodo uno canone incedere possint; Christianam conversationem dignam cœlesti politia explicat; denique consolatur, exhortatur & ob liberalitatem sibi præstitam laudat. Nulla Pauli Epistola perinde pathetica, & paternis magis affectibus referta est.

IV. Inter Epistolas à S. Paulo in prioribus vinculis, quibus Romæ attinebatur, scriptas, prima hæc fuisse videtur. Cùm Romæ captivus esset, (nam in vinculis scriptam esse, liquet ex cap. I. 7. *Scriptio locus & tempus.*)

Epistola ad Philippenses 13. 14. & quidem Romæ, non Hierosolymæ, ex cap. I. 13. & IV. 22. colligitur, denique in prioribus non posterioribus vinculis, spes de ministerio suo continuando cap. I. 19--26. arguit.) Philippenses non parùm de eo solliciti Epaphroditum miserunt, qui eum in vinculis visitaret, & necessaria vitæ subsidia eidem suppeditaret, cap. II. 25. IV. 10. 18. Eundem ad Philippenses remisit Paulus, cap. II. 28. & Epistolam ei perferendam tradidit. Subscriptio id testatur, quæ ita sonat: *πρὸς Φιλιππησίους ἐπεγράφη ἀπὸ Ῥώμης δι' Ἐπαφροδίτου*, *Ad Philippenses scripta est Romæ per Epaphroditum*. Nam per Timotheum etiam missam esse, uti habet Arabica versio, probabile non est, tum quia cap. II. 19. Paulus significat, se brevi ad eos missurum Timotheum: tum quia Epistola nomine Pauli & Timothei scripta est.

Partes. V. Quot capita, tot partes Epistola hæc complectitur. *Primò* enim S. Paulus suam erga Philippenses charitatem testatus, vinculorum suorum usum docet, suamque de vita continuanda spem explicat, & ad sanctam conversationem hortatur, cap. I. *Secundò* ad unitatem & humilitatem, exemplo Christi proposito, aliâque hortatur, cap. II. *Tertiò* seductores cavendos, veramque justitiam, nec non perfectionem sectandam monet, cap. III. *Quartò* hortatur ad concordiam, gaudium spirituale, &c. & liberalitatem Philippensium laudat, cap. IV.

I.
Amor
Pauli
erga
Phil.
Cap. I.

I. *Testificatio amoris Pauli erga Philippenses, usus vinculorum ejus, & ad sanctam conversationem adhortatio. Cap. I.*

S. Paulus, inscriptione & voto prævio, (2.) Deo gratias agens de communionem, quam Philippenses cum Evangelio habent, suam erga eosdem charitatem intensissimam testatur, utque charitas eorum in omni cognitione & sensu abundet magis magisque, precatus, (11.) vincula sua proficere ad constantiam fratrum, licet multi ex invidia Christum prædicent, asserit, (18.) spem suam de vita & ministerio continuando, licet ad migrandum hinc paratus, explicat, (25.) denique ad sanctam conversationem, constantiam, & simile, quale ipse sertabat, certamen certandum exhortatur. (30.) *cap. I.*

II. Ex-

II. *Exhortatio ad unitatem & humilitatem, salutem cum timore & tremore operandam, & commune gaudium.* Cap. II. Epistola ad Philippenses II.

Rogat magnopere, ut idem sentiant, eandem charitatem habeant, humilitate alii alios sibi præferant, nec suam quisque, sed aliorum spectet, exemplo Christi, qui pro nobis se exinanivit, & ideo exaltatus est. (11.) ut salutem cum timore & tremore conficiant, nil facientes cum murmuratione, in mundo lucentes, ut luminaria, ad gloriam & lætitiâ suam, (17.) ut secum lætentur, (18.) promissâ in futurum missione Timothei, per quem statum suum cognoscant, (24.) & misso in præsentiarum Epaphrodito, ut lætarentur ipsius valetudine, ipsèque tristaretur minus. (30.) cap. 2.

III. *Præmonitio à seductoribus, & directio ad sectandam veram justitiâ ac perfectionem, & conversationem cœlesti civitate dignam.* Cap. III. III. Præmonitio à seductoribus.

Lætitia denuo injunctâ, jubet vitari canes, malos operarios, concisionem, cum circumcisio illi sint, qui in Christo gloriantur, & non in carne fiduciam habent, (3.) cum & ipse habens fiduciam in carne, omnia tamen propter Christum damnum duxerit, ut in ipso inveniretur justitiâ habens non ex lege, sed ex fide, cognosceretque vim resurrectionis ejus, (11.) non quod jam apprehenderet, sed quod persequatur scopum, (14.) unde perfectos idem sentire, in reliquis Dei revelationem expectare jubens, (16.) hortatur ad sui imitationem, (17.) secus ambulans hostibus crucis Christi interitum minatur, (19.) & fidelibus civitatem in Cœlis, unde Christus veniet, nos sibi configuraturus, ostendit. (21.) cap. 3.

IV. *Exhortatio ad concordiam, consolatio & laudatio beneficentiæ erga se.* Cap. IV. IV. Hortatio ad concordiam.

Evodiam & Syntychem unâ cum fratribus omnibus ad concordiam hortatus, (3.) lætitiâ, modestiâ, precationem commendat, (6.) pacem Dei promittit, (7.) honestâ quæque præcipit, (9.) lætitiâ suam ex eorum pro se cura & beneficentiâ testatur, (19.) & laude Dei ac salutatione claudit. (22.) cap. 4.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES.

Partes.

I. Testificatio amoris Pauli erga Philippenses, usus vinculorum ejus, & ad sanctam conversationem adhortatio, cap. I.

II. Exhortatio ad unitatem & humilitatem, salutem cum timore & tremore operandam, & commune gaudium, cap. II.

III. Præ-

*Epistola
ad Colof-
senses.*

- III. Præmonitio à seductoribus, & directio ad
sectandam justitiam fidei, perfectionem, con-
versationem coelesti civitate dignam, cap. III.
IV. Exhortatio ad concordiam, consolatio, &
laudatio beneficentiæ, cap. IV.

Interpretes Epistola ad Philipenses.

S. PATRES. Gregorius M.

REFORMATI. Gomarus, Musculus, Olevianus, Schrotanus
(Meinardus,) Zanchius, Zwinglius, Dallæus, Cocceius, van
der Hagen. Angli, Ayray, Fergasson, Ridlejus, Tukerus.

AUGUSTANI. Brentius, Hoffmannus, Meelfurerus, Wein-
richius. Wellerus.

PONTIFICII. Stævartius, Vasquez, Velasquez, Sasbout.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & Episto-
larum S. Pauli omnium, cap. VIII. Lit. A.

CAPUT XIV.

DE

Epistola S. Pauli ad Colossenses.

BREVIARIUM.

*Inscripta Epistola est Colossensibus. Colossi Phrygiæ
Pacatiæ in minore Asia urbs. Χώρα quan-
doque dicti. Non à S. Paulo, sed ab aliis con-
versi sunt. Destinata etiam Epistola est Lao-
dicensibus. 1. Occasionem præbuit Epaphræ de
Colossensibus relatio. 2. Argumentum Epistolæ 3.
Scripta est Romæ in vinculis posterioribus: missa
per Tychicum, Onesimo comite. 4. Partes Epi-
stolæ sunt tres. I. Gratulatio de fide accepta
in Christo, & charitate erga sanctos. (cap. 1:
1--9.) Exhortatio ad incrementum quæren-
dum fidei, cavendamque seductionem à Christo.
(cap. 1: 9--3.) III. Exhortatio ad exercitia
fidei & pietatis. (cap. 3 4.) Interpretes Ve-
teres, Reformati, Augustani, Pontificii, &
Tabula Synoptica Epistolæ. 5.*

I. Scripta

I. **S**cripta hæc Epistola est τοῖς ἐν Κολοσσαῖς *Epistola*
ἀγίας καὶ πιστοῖς ἀδελφοῖς ἐν Χριστῷ. Sanctis & ad Colos-
fidelibus fratribus in Christo, qui sunt Colossas, cap. senses.

I. 2. **Q**ui fuerint illi, & ubi gentium habitaverint, *Inscri-*
ptio.
 haudl concors sententia omnium est. Plerisque
 tamen videtur, Colossos fuisse urbem Phrygiæ
 Pacattianæ in minore Asia, Laodiceæ & Hieropoli
 viciniam, cap. II. 1. IV. 13. Ita jam olim Chryso-
 stomus, Oecumenius, Hieronymus, & recentio-
 res eruditissimi quique sentiunt. Theophylactus
 suo uempore appellatam urbem eam Χῶνας, me-
 morat. Conversi autem Colossenses non sunt à
 Paulo, utpote ab eo, setus quàm Gentianus Her-
 vetus, Theodoreti Interpres, aliique etiam sen-
 tiunt, nunquam visi, Coloss. II. 1. sed juxta S. Pauli
 doctrinam ab Archippo, Onesimo, Tychico,
 Epaphrodito maximè & Epaphra. Colossensibus
 porrò solis inscripta licet Epistola, eadem tamen
 operâ Laodicensibus quoque destinata est, uti ex
 cap. IV. 15. colligitur.

II. **O**ccasionem scribendi præbuit Epaphras, *Occasio*
 Evangelii apud Colossenses præco. Is Romam ad
 S. Paulum captivum profectus, ei Colossensis Ec-
 clesiæ statum explicat, fidem & constantiam lau-
 dat. Accedebat Pseudapostolorum perfidia, veræ
 fidei ab Epaphra ritè traditæ adulterium molien-
 tium, Ecclesiâque eam non parùm turbantium.

III. **S**ic S. Paulus, qui quandiu in terris egit, *Argu-*
 Ecclesiam Christi & fideles parturivit, donec *men-*
 Christus in eis formaretur; & vinculis constri- *tum.*
 ctus fidelium in fide agnita confirmandorum
 curam neutiquam deposuit; Colossensibus fidem
 in Christum susceptam gratulatur enixè, eosdem
 ad quærendum ejus incrementum extimulat,
 Christi beneficia commendat, inanem sapientiam,
 superstitionem, ritus Mosaicos, παραλογισμῶν
 dissuadet, denique veræ fidei & pietatis exercitia
 præscribit. Succincta igitur verbis licet, totius
 tamen Evangelii nucleum complectitur, omniâ-
 que humana somnia, & excogitatos præter ac
 contra Dei verbum cultus profligat.

IV. Scri-

Epistola ad Colossenses. Scrip- tionis locus, &c. IV. Scripta porrò hæc Epistola est in vinculis, scilicet Romanis, uti liquet ex cap. IV. 3. 18. & quidem non prioribus, uti plerique censent, sed posterioribus. Meminit enim cap. IV. 16. Epistola Laodiceâ scriptæ, hoc est, prioris ad Timotheum, quæ post priora vincula scripta est. Missa quoque est per Tychicum, Onesimo comite, cap. IV. 7. 8. 9. Neque parùm hanc aliàsque nonnullas Epistolas commendat, quòd in vinculis scriptæ sunt. Inde nempe constat, quanti veritatem S. Paulus fecerit, utpote cujus gratiâ periclitari & pati voluît. In patientia fidei & charitatis sinceritas exsplendescit.

Partes. V. Exordio & Epilogo Epistolæ dempto, tres partes tractatio habet. *Primò* enim Colossensibus fidem in Christo Jesu, & charitatem erga sanctos gratulatur, cap. I: 1-9. *Secundò* eosdem ad quærendum incrementum fidei, cavendamque seductionem à Christo exhortatur, cap. I: 9-III. *Tertiò* veræ fidei & charitatis exercitia commendat, cap. III. IV.

I. Gratulatio de fide, &c. Cap. I. I. *Gratulatio de fide accepta in Christo, & charitate erga sanctos, Cap. I: 1-9.*

Inscriptione & voto prævio, Deo gratias agit ob fidem & charitatem Colossensium, propter spem illis repositam in Coelis, quam in sermone veritatis Evangelii illis totique mundo prædicato audiverunt ab Epaphra. (8.) cap. I: 9-f.

II. Exhortatio ad incrementū fidei. II. *Exhortatio ad incrementum quærendum fidei, cavendamque seductionem à Christo. Cap. I: 9-III.*

Vide
1. *Exhortationem ad quærendum incrementum fidei, cap. I: 9-f.*

Precaur petitque Paulus, ut compleantur Colossenses quoad cognitionem voluntatis Christi in omni sapientia & prudentia spirituali, (9.) gratias Deo agens, quòd eos idoneos fecit ad partem sortis sanctorum in luce, & transposuit in Regnum filii, (13.) qui describitur tanquam redemptor, imago Dei, conditor omnium, (17.) caput Ecclesiæ, primatum tenens in omnibus, reconcilians omnia, pacem faciendo per sanguinem crucis, (20.) Colossenses quoque olim alienatos, (23.) ubi etiam ministerium, passionem & mytheria sibi credita exponit, (29.) cap. I: 9-f.

2. *Exhortationem ad cavendam seductionem à Christo.*
Suum pro Colossensibus, aliisque certamen, ut compingantur in charitatem, omnesque divitias plenitudinis

DE EPISTOLA AD COLOSSENSSES. 577

dinis prudentiæ ad cognitionem mysterii Dei & Patris *Epistolæ* & Christi, exponens, (3.) monet, ne se patiantur *ad Co-* seduci per probabilitatem sermonis, (7.) philoso- *lossenses,* phiam & vanam deceptionem secundum traditionem hominum & elementa mundi, (8.) quibus opponit Christum, in quo sint completi, (10.) circumcisi, confepulti & excitati, (13.) condonatis iis peccatis, inducto chirographo, triumphatis potestatibus, (15.) in specie ceremonias Mosaicæ & decreta legalia, cultusque voluntarios prohibens, (23.) *cap* 2.

III. *Exhortatio ad exercitia fidei & pietatis.* Cap. III. III.

IV. Ubi

1. S. Paulus fontem pietatis, quod cum Christo excitati *Exhor-* quærere ea, quæ sursum sunt, debeant, pandens, (4.) *tatio ad* vetusti hominis mortificationem, & novi assumptio- *exerci-* nem, (15.) sermonis Christi copiosam notitiam com- *tia fidei* mendat, (17.) conjugum, (19.) liberorum & parentum, *3.* (21.) servorum & herorum mutua officia declarat. (25.) *cap* 3.
2. Orationem, (4.) conversationem cum exteris, (5.) *4.* sermonem informans, (6.) Tychicum & Onesimum commendat, (9.) salutationibus defungitur, (15.) *Epistolæ* cum Laodicensibus communicationem injungit, (16.) Archippum officii admonet, (17.) vinculorum suorum memoriam injungit, & voto claudit. (18.) *cap* 4.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ AD COLOSSENSSES.

Partes.

- I. Gratulatio de fide accepta in Christum, & charitate erga sanctos, *cap* I: 1--9.
- II. Exhortatio ad incrementum fidei, & seductionem cavendam, *cap* I: 9--III.
1. *Ad querendum incrementum fidei*, c. 1: 9--f.
2. *Ad cavendam seductionem à Christo*, c. 2.
- III. Exhortatio ad exercitia pietatis, *cap* III. IV.
1. *Ad mortificationem veteris, renovationem novi hominis, officia specialia*, c. 3.
3. *Ad orationem, conversationem rectam. Clausula*, c. 4.

Interpretes Epistolæ ad Colossenses.

S. PATRES. Origenes.

REFORMATI. Gomarus, Grynæus, Knibbe, Musculus, Olivianus, Polanus, Scultetus, Suicerus, Zanchius, Dallæus, Zwinglius, d'Outrien. *Angli*, Byfield, Cartwrightus, Davemantius, Dod, Elton, Lokier, Rollotus, Fergallon.

Epistola AUGUSTANI, Brentius, Melanchthon, Turnemaius &
 I. ad Weinrichius, Wigandus, Schmidius.
Thessa- PONTIFICII. Quiros, Vasquez.
lonicen- Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & Episto-
 larum Paulinarum. cap. VIII. Lit. A.

CAPUT XV.

DE

Epistola S. Pauli priore
ad Thessalonicenses.

BREVIARIUM.

Inscriptio Epistolæ. Thessalonica urbs Macedonia.
Primitus Halia, & Therma. S. Pauli in urbem
eam ingressus, Judæis se ei opponentibus, &
Timotheo ab eodem misso, ut eos confirmaret. 1.
Occasionem scribendæ Epistolæ Timothei de iis
narratio præbuit. 2. Argumentum. 3. Non
Athenis, sed Corinthi scriptam videri. 4. Tem-
pus scriptiois. Epistolarum S. Pauli omnium
prima est. 5. Etiam prior est, ante posteriorem
scripta, secus quàm Grotius asseruit. 6. Partes
due sunt. I. Hortatio ad constantiam, gratia-
rum actionis & precationis formâ concepta.
(cap. 1--4.) II. Hortatio ad officia Christianæ
professione digna. (cap. 4. 5.) Interpretes Veteres,
Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula
Synoptica Epistolæ. 7.

Inscri-
ptio.

I. **I**nscribitur Epistola hæc τῆς Ἐκκλησίας τῶν Θεσσα-
 λονικίων, *Ecclesiæ Thessalonicensium. Thessalo-*
nica autem Macedonia urbs μέγιστα τῶν ἄλλων
ἰσχυρῶσα, præ aliis urbibus robore & fortitudine
civium florens, uti Strabo lib. VII. loquitur. Primi-
tus Halia & Therma dicta est. Venit in eam urbem
S. Paulus, & Synagogam Judæorum reperit, quam
ingressus docuit, oportuisse Christum pati, & ex
mortuis resurgere. Unde quidam conversi προσε-

κληροῦ

καληρώθησαν *confociati sunt Paulo & Silæ. Alii verò* *Epistola*
 Judæi improbo zelo ducti turbas dederunt, adeò *I. ad*
 ut noctu dimissi Paulus & Silas Beroëam se contu- *Thessa-*
 lerint. Ubi cum *ευγενεῖς* generosiores, quàm *lonicē-*
 Thessalonicenses fuerant, reperirent, iique Paulo *ses.*
 assentirentur, Thessalonicâ egressi turbatores, ibi
 quoque sacra commovere non dubitarunt, adeò
 ut illinc Paulus Athenas se conferre necessum ha-
 buerit, Sila & Timotheo Beroëæ manentibus.
 Hæc Act. XVII. 1--13. legere est. Post Apostolus
 Athenis ad Thessalonicenses misit Timotheum,
 qui fideles ibi repertos confirmaret, & consolaretur
 τῶν μηδένα σκινεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις, hoc
 verbo, *neminem oportere commoveri in hisce afflictio-*
nibus, cum ipsi noverint, quòd ad hoc positi simus,
 1. Thess. III. 1. 2. 3.

II. Occasionem igitur scribendæ huic Epistolæ *Occasio*
 suppeditavit Timotheus Thessalonicâ ad Paulum
 redux, eique *εὐαγγελισάμενος τὴν πίστιν καὶ ἀγάπην*
latum de fide & charitate nuntium ferens, 1. Thess.
 III. 6. Quo nuntio audito non parùm lætatus,
 constantiam illis gratulandam, fidemque eorum
 ulterius corroborandam duxit.

III. Hoc nempe agit Apostolus, ut, tum lau- *Argu-*
 dibus demulcens Thessalonicenses ob fidem & *men-*
 charitatem testatam, tum Deo gratias agens, & *tum.*
 pro iisdem preces suas fundens, ad constantiam
 & patientiam eos hortaretur, variâque iis officia
 homine Christiano digna præciperet.

IV. Athenis scriptam esse Epistolam, commu- *Scri-*
 nis subscriptio habet. In Claromontano tamen & *ptionis*
 Syriaco Codice mentio Athenarum nulla est; sed *locus*
 simpliciter ita subscribitur: *Επιλωρώθη πρὸς Θεσσα-*
λονικέας πρώτη. Finit prior ad Thessalonicenses. Non
 etiam Athenis, sed Corinthi potius, quòd relictis
 Athenis se contulisse Paulum, Lucas Act. XVIII.
 11. testatur, scriptam esse, probabiliter Beza, eum-
 que secutus Baronius, ex historia itineris S. Pauli
 & Timothei, inprimis Act. XVIII. 5. arguunt.

V. Primam hanc Epistolarum Paulinarum om- *Tempus*
 nium esse, non sine causâ jam olim Chrysostomus,

Epistola I. ad Thessalonicenses. Theodoretus, aliique, & recentiores etiam doctissimi quique crediderunt. Sive enim Athenis, sive Corinthi ea scripta est, reliquæ omnes scriptæ sunt, postquam Athenis & Corinthi S. Paulus substitit, uti in loco probatum damus. Venit autem Corinthum Anno Christi 54. quo Epistolam hanc S. Paulus scripsit. Ante reliquas scriptam esse, etiam simplicissimus doctrinæ Apostolicæ typus, quem in ea reperimus, arguit. Nulla in ea est disputatio cum Pseudapostolis: sed tantum gratulatio de fide, consolatio fidelium, & parænesis ad fidem moribus exprimendam.

Prior Epistola est. VI. Toto certè cœlo aberravit Grotius, qui posteriorem ad Thessalonicenses facit Epistolam, quam consentiens Codicum omnium autoritas priorem facit, ut suæ de Antichristo, *Homine peccati*, quem Cajum Caligulam interpretatur, hypothese erroneæ famularetur. Etenim in hac Epistola meminit missi ad Thessalonicenses Timothei, neque Epistolæ prioris ad ipsos exaratae meminit: in altera verò cap. II. 15. Epistolæ prioris ad ipsos datae meminit. Tum potissimæ partis argumenti alterius Epistolæ occasio in ea, quæ prior dicitur, habetur. Cum enim cap. IV. 15. dixisset: *Nos, qui vivimus, non prævertemus eos, qui dormiverint*; visus est Apostolus sentire, post paucos annos, se adhuc superstitere, diem Domini venturum. Id verò in posteriore Epistola cap. II. refellit, ostendens, non appariturum Christum, donec apostasia venerit, & homo peccati revelatus fuerit. Accedit, quòd in hac Epistola Paulus conversionem Thessalonicensium ad fidem, in altera ejus incrementum exponit: in hac cap. IV. 11. succinctè præcipiens, ut sua agerent, laborarèntque propriis manibus, latiùs id in posteriore cap. III. 7. 12. deducit. Plura contra paradoxam sententiam à Viris doctissimis, Simplicio Verino, hoc est, Salmasio, Coccejo, Henrico Moro, aliisque dicta heic prætereo.

Partes. VII. Ab exordio & Epilogo Epistolæ si discesseris, duo capita tractatio complectitur. *Primo* enim S. Paulus Thessalonicenses ad constantiam hortat-

hortatur, idque non directè, sed obliquè, laudans, *Epistola I. ad Thessalonicenses.*
 Deo gratias agens, preces suas pro ipsis narrans. *Cap. I--IV. Secundò ad officia Christiana professione digna hortatur, Cap. IV. V.*

I. Hortatio ad constantiam, gratiarum actionis & precationis formá concepta, Cap. I--IV. Vide

1. *Eucharistiam seu gratiarum actionem. cap. 1-3: 11.* ubi **1.** Horta-
 a. Inscrizione & voto præviis, Deo gratias agit pro- **constan-**
 pter ipsos, in precibus commemorans opus fidei, & **tiam.**
 laborem charitatis, & patientiam spei illorum, (3.) **Cap. I.**
 eam acceptam fert electioni & præconio suo, (5.)
 laudans eos ut imitatores sui, (6.) exemplaria cre-
 dulentium in Macedonia & Achaja, omnique loco, (8.)
 renuntiantibus passim, qualem introitum Paulus ad
 eos habeat, & quomodo ab idolis ad Deum vivum
 conversi sint. (10.) *cap. 1.*
- b. Suum ad eos introitum narrans, suæ exhortationis **2.**
 sinceritatem, utpote quâ Deo, non hominibus, placere
 studuerit, mitis, & instar nutricis erga eos, animam
 pro iis impertiri paratus, comprobat, (12.) & denuo
 Deo gratias agens, quòd sermonem suum, ut sermo-
 mem Dei, acceperint, patientes multa à Judæis, (16.)
 impeditum ad eos, gloriam & lætitiã suam, à
 Sathana iter commemorat. (20.) *cap. 2.*
- c. Missum à se Timotheum, qui eos confirmaret, & ad- **3.**
 versus afflictiones muniret, (5.) reducẽmque, & fidem
 amorẽmque erga se eorum prædicantem inducit, (6.)
 suãmque inde consolationem & lætitiã explicat.
 (10.) *cap. 3: 1--11.*
2. *Precationem*, ut dirigat Deus viam suam ad eos, detque
 incrementum charitatis mutuæ. (13.) *cap. 3: 11--f.*

II. Hortatio ad officia Christiana professione digna. Cap. IV. V. Ubi

1. Hortatur, ut abundant in ambulando, uti acceperunt **II.**
 ab ipso, (2.) sanctificationi studeant, se invicem ne de- **Officia**
 fraudent, (8.) sed fraternè diligant, (10.) quieta cum **Christiana.**
 industria hoc agant, opus manibus propriis faciant, (11.) **4.**
 honestè cum illis, qui foris sunt, ambulent, (12.) ob de-
 functos, luctu nimio se ne macerent, ed quòd mortui
 æquè ac Christus ex morte sint resuscitandi, (14.) ubi
 mysterium resurrectionis mortuorum exponitur. (18.)
cap. 4.
2. Tempus adventus Domini describens, (3.) vigilantiam **5.**
 & sobrietatem, (7.) armaturam, (10.) adhortationem
 & ædificationem mutuam, (14.) studium boni, (10.)
 lætitiã in omni re, (16.) orationem, (18.) Spiritus
 fomentum, (19.) Prophetiæ æstimationem, (20.) &
 studium bonæ conscientiæ commendat, (22.) & sancti-
 ficationem iis precatus, consolatur, (24.) salutatione &
 voto claudit, (28.) *cap. 5.*

*Epistola
I. ad
Thessa-
lonicenses.*

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ I. AD THESSALONICENSIS.

Partes.

I. Exhortatio ad constantiam, cap. I---IV.
Ubi est

1. *Gratiarum actio pro iis, c. 1--3: 11. ubi*
 - a. *Post inscriptionem gratias Deo agit pro fide, charitate, patientia, imitatione sui, cap. 1.*
 - b. *Sinceritatem, lenitatem & industriam praconii sui narrat, & eorum pietatem & constantiam laudat, c. 2.*
 - c. *Missum à se Timotheum, & ex reducis relatione gaudium suum exponit, c. 3: 1--11.*
2. *Precatio pro incremento charitatis illorum, c. 3: 11--f.*

II. Exhortatio ad officia pietatis, cap. IV. V.

1. *Ad sanctitatem, philadelphiam, moderatum ob mortuos luctum, c. 4.*
2. *Ob incertum tempus adventus Christi, ad vigilantiam, aliâque officia plura, c. 5.*

Interpretes Epistolæ prioris ad Thessalonicenses.

S. PATRES. Origenes.

REFORMATI. Gomarus, Landreben, Musculus, Scultetus, Zanchius, Zwinglius. *Angli.* Juellus, Rollocus, Sclaterus, Bradshawia in I. & II. Ivellus, in II. Anonymus in I 1538. Jakson.

AUGUSTANI. Weinrichius, Wellerus, Willichius, Spangenberg.

PONTIFICII. Stævartius, Vasquez.

Addantur Interpretes omnium Librorum N. Test. Cap. I & Epistolarum S. Pauli omnium Cap. VIII. Lit. A.



CAPUT XVI.

Epistola
II. ad
Thessal.

DE

Epistola S. Pauli poste-
riore ad Thessalo-
nicenses.

B R E V I A R I U M.

*Occasio Epistolæ exarandæ Paulo triplex contigit.**1. Argumentum Epistolæ. 2. Scriptionis tempus.**Post priorem scriptam esse, & diu post principatum Caji Caligulæ, adversus Grotium asseritur. 3.**Partes capituli tres sunt. I. Consolatio Thessalonicensium persecutiones sustinentium. (cap. 1.)**II. Instructio de adventu Domini, signisque eum præcedentibus, & seductione cavenda. (cap. 2-3: 6.)**III. Admonitio de cavendis fratribus. cap. 3: 6--f.) Interpretes Veteres, Reformati,**Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ. 4.**I. O*ccasionem Epistolæ hujus posterioris ad *Occasio*

Thessalonicenses exarandæ S. Paulo sup-

peditavit tum nuntium de afflictionibus

Thessalonicensium allatum: tum *παρρησια* ver-

borum ejus i. Epist. cap. IV. 15, ubi scripserat, nos,

qui vivimus, non anticipaturos eos, qui dormi-

verunt, unde nonnulli concluderunt, ex Apostoli

sententia imminere diem Domini: tum denique

vita quorundam parùm piè acta, cujus ei ab aliis

præbitum indicium est.

II. Sic S. Paulus denuo ad Thessalonicenses *Argu-*scribens, eos tum consolatur, & adversus afflictio- *men-*nes munit: tum de adventu Domini, signisque *tum.*

eum præcedentibus & portendentibus, puta apo-

stasia & revelatione hominis peccati, certiores

reddit, fidelésque adversus metum seductionis

Epistola
II. ad
Thessa-
lonicen-
ses.
Scri-
ptionis
tempus.

confirmat : tum denique ἀραξίαν & impietatem omnem in vita prohibet.

III. Scripta videtur non diu post priorem Epistolam, uti ex Chrysoſtomo & Theodoro rectè observavit Baronius, meritò rejiciens ſententiam S. Athanaſii, aſſerentis, ſcriptam eſſe Epiſtolam Romæ. Miſſaque etiam videtur Corintho, poſtquam eò ad Paulum Theſſaloniæâ Timotheus rediſſet. Grotii verò ſententiam, Epistolam hanc ſuperiori priorem facientis, & ad tempora principatus Caſi Caligulæ referentis, jam ſupra notavimus, obelôque doctiſſimi quique confixerunt. Certè Caligulæ temporibus Theſſalonicenſes S. Paulo ignoti adhuc, & ad fidem Chriſti necdum converſi fuerunt; utpote quos anno demum ultimo, puta decimo quarto Claudii, viſitavit, & fide Chriſtiana imbuit, Act. XVII. 1. &c. Ante quod tempus nullos Theſſalonicæ fideles extiſſe, ſatis etiam ex loc. cit. v. 4. apparet. Si enim jam tum fideles ibi extiſſent, aſſumpſiſſet eos Paulus, & unà cum iis Synagogam adiviſſet.

Partes.

IV. Tria S. Paulus hîc agit. *Primò* Theſſalonicenſes perſecutiones ſuſtinentes conſolatur, cap. I. *Secundò* eos de adventu Chriſti tempore, & ſignis ejus præcedentibus præmonens, adverſus metum ſeductionis confirmat, cap. II. III. 1-6. *Tertiò* vitandos inordinatè viventes monet, cap. III. 6--f.

I.
Conſo-
lacio.
Cap. 1.

I. *Conſolatio Theſſalonicenſum perſecutiones ſuſtinentium. Cap. I.*

Ubi, inſcriptione & voto præviis, (2.) Deo gratias agens de incremento fidei illorum, (3.) ſuam ob patientiam eorum in perſecutionibus gloriationem apud alias Eccleſias indicans, (4.) certam iis ſpem facit Regni Dei, ac compensationis gloriæ in judicio Chriſti, perſecutoribus verò extremum ſupplicium comminatur, (10.) preces ſuas commemorans, ut compleat Deus eorum fidem, glorificeturque in iis nomen Chriſti. (12.) cap. 1.

II.
Inſtru-
ctio.

II. *Inſtructio de adventu Domini, ſignis que eum præcedentibus, cavendâque ſeductione. Cap. II. III. 1--6.*

Ubi

1.

Eos vetat credere, quòd inſtet dies Chriſti, (2.) quia neceſſum ſit priùs venire apoſtaſiam, & revelari hominem peccati, (2.) ubi Antichriſtum, ejusque revelationem & conſumptionem, (8.) nec non cauſam, cur Deus ſedu-

ſedu-

seductionem per illum immissurus sit, (12.) describens; *Epistola* Deo gratias agit, quod elegerit fideles, (14.) monetque, *II. ad* ut retineant traditiones, Deique consolationem & *Thessal.* præsidium iis precatur. (17.) *cap. 2.*

2. Jlibet orare, ut sermo Domini currat, & ut liberentur
ab hominibus absurdis, (2.) custodiam Dei promittit, 3.
(3.) suamque de iis fiduciam, implorata ope Dei, testa-
tur. (5.) *cap. 3: 1--6.*

III. *Admonitio de cavendis fratribus inordinatè ambu-* III.
lantibus. Cap. III. 6--f. Admo-
nitio.

Ubi hortatur, ut recedant ab omni fratre inordinatè am-
bulante, (6.) exemplo suo operentur, & manibus suis
laiborent omnes, (12.) ne segnescant in benefactis, (13.)
inobedientes notent, cum iis ne misceantur, eos ad-
moneant. (15.) Denique pacem iis precatus, signo suo
cilaudit. (18.) *cap. 3: 6--f.*

TABULA SYNOPTICA EPISTO-
LÆ POSTERIORIS AD
THESSALONICEN-
SES.

Partes.

I. Consolatio Thessalonicensium, persecutiones
sustinentium, Cap. I.

II. Instructio de adventu Domini, signisque eum
præcedentibus, cavendâque seductione, cap.
II. III. 1--6. ubi

1. *Adventum Christi non ante revelatum Anticri-*
stum instare docet, & ad constantiam in fide hor-
tatur, c. 2.

2. *Precatur liberationem ab hominibus absurdis,*
c. 3: 1--6.

III. Admonitio de vitandis fratribus inordinatè
ambulantibus, cap. III: 6--f.

Interpretes Epistola posterioris ad Thessa-
lonicenses.

S. PATRES. Scorsim nullus.

REFORMATI. Gomarus, Landreben, Musculus, Scultetus,
Zanchius, Zwinglius. *Angli*, Rollocus, Sclaterus.

AUGUSTANI. Hoffmannus, Weinrichius, Wellerus,
Willichius.

PONTIFICII. Stævartius, Vasquez.

Epistola
I. ad
Timoth.

CAPUT XVII.

DE

Epistola S. Pauli prioris
ad Timotheum.

BREVARIUM.

Inscriptio. Timothei prosopographia. De eo signata Metaphrasis, à Lapide, aliorum. 1. Occasio. 2. Argumentum Epistolæ. 3. Scriptam esse Laodiceæ, & eandem, quæ Coloss. IV. 16. indigetatur, probatum. 4. Scripta est non in itinere Macedonico priori, nec intervallo biennii, quo Ephepsi substitit, nec in vinculis Romanis prioribus, sed post solutionem ex vinculis, cùm Orientem repeteret, & in Macedoniam proficisceretur. 5. Partitio Epistolæ, in qua miscellæ sunt admonitiones, nonnisi secundùm capita institui potest, quorum epitome exhibetur. Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabulæ Synoptica Epistolæ. 6.

Inscri-
ptio.

Inscribitur hæc Epistola *Τιμοθέῳ γυνίῳ τέκνῳ ἐν πίστι*, Timotheo germano filio in fide, cap. I. 2. Timotheum patre Græco & matre Judæa natum esse, tradidit Lucas Act. XVI. 1. Mater illius fuit Eunice, avia Lois, utraque à sincera fide commendatissima, 2. Tim. I. 5. Patriam Lycaoniam Theodoretus nominat. A puero sacras literas didicit, 2. Tim. III. 15. Primò *discipulus*, id est, Christianus factus; post propter ingenii alacritatem, promptitudinem & fidem eximiam, cujus testes erant fratres Lytrensenses & Iconienses, Act. XVI. 2. à Paulo lectus peregrinationum comes; tandemque ætate novellus, at in fidei & virtutis laude pro-
vectus, ejusdem in Evangelio *συνεργὸς κοπιῶν*, varias Evangelii & Ecclesiæ causâ legationes obiit, eoque

eoque nomine multum Apostolo laudatus Rom. *Epistola I. ad Timoth.* XVI. 21. 1. Cor. IV. 17. XVI. 10. 11. 1. Thess. III. 2. Phil. II. 20. 22. Captivus etiam fuit propter Christum, sed carcere solutus Hebr. XIII. 23. Ephesi denique Episcopum constitutum esse, Veteres, Eusebius Hist. Eccles. III. 4. Chrysostomus, Theophylactus, alii asserunt. Et Johanni successisse, Metaphrastes tradidit. Sed ex Scriptura non liquet. Audax Cornelii à Lapide figmentum, aliorumque Papistarum de Timotheo deliria, veluti quòd Archiepiscopus & Primas omnium Ecclesiarum Asiæ minoris factus sit; Celeb. Crocius, Præceptor quondam Venerandus, *Proleg. in 1. ad Timoth.* solide discussit.

II. S. Paulus in Macedoniam profecturus, Ephesi Timotheum reliquit, cap. I. 3. Prima hæc *Occasio & argumentum.* occasio fuit ad ipsum absentem scribendi, quâ usus ipsum instruere voluit, quid in Ecclesia, in qua relictus erat, agendum ipsi incumberet. Sic igitur Timotheum non solum verâ doctrinâ, sed etiam autoritate suâ Apostolicâ, quam asserit, armat & confirmat, tum de precibus & ordine in cœtibus publicis custodiendo, tum de ministerio totâque gubernatione Ecclesiæ ritè instituenda, conservandâque differens, nec pauca de præcipuis doctrinæ capitibus, futura inprimis apostasia interspergens, denique in omnibus ministerii partibus eum fideliter instruens.

III. Subscriptio Græca ita habet: *πρὸς Τιμόθεον* Subscriptio. *πρώτη ἐγγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ Μητρόπολις* *φρυγίας τῆς Πακατιανῆς.* *Ad Timotheum prima scripta est ex Laodicea, quæ Metropolis est Phrygia Pacatiana.* Sic etiam Syrus. Igitur & Laodiceâ scriptam esse, & Epistolam illam *ἐκ Λαοδικείας* ex Laodicea scriptam, cujus Coloss. IV. 23. mentio est, priorem hæc ad Timotheum esse, Viri docti non pauci sentiunt. Quibus & hoc non parùm favet, quòd Epistolam ex Laodicea scriptam legi jubens, statim subicit v. 17. *Et dicite Archippo: Vide, ut ministerium, quod accepisti in Domino, impleas: quasi diceret: Monete eum, ut ministerium suum juxta tenorem*

Epistola I. ad Timoth. norem ejus Epistolæ, quam Laodiceâ ad Timotheum, omnésque adeo Episcopos & Seniores, atque sic etiam ad ipsum scripsi, instituat. Potuit etiam S. Paulus Epheso in Macedoniam cœncedens, leniter Laodiceam deflectere, atque ibi Epistolam hanc scribere, scriptamque inde ad Timotheum, Ephesum mittere. Neque obstat, quòd Coloss. II. 1. innuere videtur, Laodicenses suam faciem non vidisse. Sensus enim est, non diu ipsum Laodiceæ & Colossis substituisse, sed cum paucis ibi egisse, veluti Colossis cum Epaphra; & per paucos eos postea reliquos edoctos esse.

Tempus scriptio nis. IV. Scripta Epistola est non in primo illo itinere, quod in visione à Viro Macedone exitus in Macedoniam suscepit; utpote in quo Silvanum & Timotheum comites habuit, Act. XVII. 14. cum hic Timotheum Ephesi reliquerit, cap. I. 3. Neque etiam scripta videtur intervallo biennii illius, quod Ephesi S. Paulus exegit, Act. XIX. 10. uti Celeb. Coccejus existimat. Neque enim Lucas iter illud haud ignobile silentio præterivisset. Parùm etiam probabile, in vinculis scriptam. Cùm vinculorum suorum Paulus non meminerit; & præterea in iis Timotheum, si non, *συναρχμάλωτον*, at certè *συνεργόν* habuerit. Quod Epistolæ in vinculis scriptæ, & Timothei nomen præferentes, testantur. Rectius igitur Doctiss. Usserius refert ad tempus, quo S. Paulus à vinculis solutus, denuo in Orientem profectus est. In illud enim tempus incidere potuit iter Epheso in Macedoniam, ad confirmandas Ecclesias Macedonicas prius conversas, & in quo Timotheum comitem non habuit, sed Ephesi reliquit. Igitur ad annum Christi 65. scriptio nem hanc cum eodem Usserio haud incommodè referimus.

Partes. V. Est hæc Epistola cumulus quidam & *συναρθροισις* variorum præceptorum, quæ ministro Ecclesiæ observanda sunt. In quo ordinem & methodum exquisitam frustra requiras, quia paternæ admonitiones regulis non subjacent. Solet enim in his fieri prudenter, ut multa simul conjungantur

tur & connectantur inter se, affectui fræna laxentur, & subinde etiam admonitiones eadem repetantur. Quot igitur capita, tot etiam partes admonitionum constitui, artificiali methodo neglecta, juvabit.

I. *Admonitio de retinenda sana doctrina, de usu & abusu legis, ac doctrina Evangelii, Cap. I.* I. De sana doctrina, &c. Cap. I.

Inscriptione & voto præviis, (1.) repetit monitum, ut denuntiaret quibusdam, ne aliter doceant, ne attendant ad fabulas, genealogias, sine prædicationis, sincero amore, ostenso. (6.) tum legis usum, (8.) cui illa data sit, (11.) sanam Evangelii doctrinam, cujus ipse indignus minister factus, declarat, (14.) fundamentum fidei, Christum, peccatorum salvatorem explicat, (17.) & Timotheo bonam militiam commendat. (20.) cap. 1.

II. *Præcepta de orationibus, & mulierum ornatu ac modestia. II.* II. De orationibus, &c. 2.

Jubet orare pro omnibus, quia id acceptum sit Domino omnes salvare cupienti, cum unus sit mediator sacrificans se pro omnibus, (7.) & orare tum viros (8.) tum mulieres in cultu decente, (10.) discentes cum tranquillitate, non docentes, (14.) salvandas, si maneat in fide. (15.) cap. 2.

III. *Præcepta Episcopos, diaconos, Ecclesiam concernentia. Cap. III.* III. De Episcopis, &c. 3.

Episcopi munus ceti bonum probans, (1.) eidem leges præscribit, ad quas se componat in omni vita, (3.) domi (5.) ne sit novitius, & ut bonum testimonium habeat, (7.) Diaconis quoque officia præscribit, (9.) utque probentur, (10.) uxores probas habeant, (11.) unius uxoris viri, boni patres familiæ. (13.) Quæ scribit, ut noverit etiam absens, quomodo se in Ecclesia, domo Dei, firmamento veritatis, cujus fundamentum explicat, gerere debeat. (16.) cap. 3.

IV. *Vaticinium de defectione, & exhortatio ad sanam doctrinam. Cap. IV.* IV. De ultimis temporibus. 4.

Spiritu vaticinatur, postremis diebus spiritus seductores, & doctrinas dæmoniorum, quorum characteres pandit, & oborituras. (5.) Unde Timotheum monet, hæc inculcet fratribus, (6.) missis fabulis ad pietatem se totum componat, (8.) cum fidelis sermo sit, (11.) juvenis liceat, exemplum tamen se præbeat fidelibus, attendat lectioni, ne negligat donum, profectum manifestum faciat, instet sibi & doctrinæ. (16.) cap. 4.

V. *Offitium Episcopi erga Seniores, viduas, Presbyteros, ordinandos. Cap. V.* V. Officia Episcopis, &c. 5.

Jubet, seniores moneat, ut patres, juniores ut fratres, (2.) viduas honoret, veras scilicet, non lascivientes, (8.) definita ætate & dotibus ejus, quæ legi possit, (13.) juvenibus

Epistola
I. ad
Timoth.

venibus verò ut nubant, imperet, (15.) viduis provi-
deant omnes, (16.) Presbyteris honos habeatur, (18.)
adversus eos accusatio ne suscipiatur, nisi ubi duo vel
tres testes fuerint, (19.) peccantes publicè arguantur,
(20.) servet hæc sine præjudicio, (22.) manus citò im-
ponat nemini, (22.) vino modico utatur, (23.) osten-
dens, in impositione manuum peccata & opera mani-
festa & occulta distingui oportere. (25.) cap. 5.

VI.
De ser-
vis, do-
centi-
bus, &c.

VI. *Admonitio servorum, docentium, pietatis fructus, avaritiæ periculum, divitum officium, & quæstionum futilium prohibitio. Cap. VI.*

Servis, ut honorent dominos, inprimis fideles, injungit,
(2.) aliter docentium affectus denudat, (5.) pietatis
quæstum, (8.) divitias aucupantium & avaritiæ no-
xam exponit, (10.) Timotheo, justitiam, pietatem,
certamen bonæ fidei, custodiam præcepti usque ad
apparitionem Jesu Christi seriò demandat, (16.)
divitibus officium præscribit, (19.) denique Timotheo
depositum commendans, vatum vanitates profanas,
& falsæ cognitionis oppositiones dissuadet, votòque
claudit. (21.)

TABULA SYNOPTICA EPISTO- LÆ I. AD TIMOTHEUM.

Partes.

- I. Admonitio de retinenda sana doctrina, usu & abusu legis, ac doctrina Evangelii, Cap. I.
- II. Præcepta de oratione pro omnibus, & mulierum ornatu ac modestia, Cap. II.
- III. Præcepta Episcopos, Diaconos, Ecclesiam concernentia, Cap. III.
- IV. Vaticinium de defectione, & exhortatio ad sanam doctrinam, Cap. IV.
- V. Officium Episcopi erga Seniores, viduas, Presbyteros, ordinandos, Cap. V.
- VI. Admonitio servorum, docentium, pietatis fructus, avaritiæ periculum, divitum officium, & quæstionum futilium prohibitio, Cap. VI.

Interpretes Epistola prioris ad Timotheum.

S. PATRES. Scorsim nemo.

REFORMATI. Danæus, Fayus, Gothofredus, Megander, Musculus, Scultetus, Zwinglius. *Angli*, Barlow, Hall.

AUGUSTANI. Artopæus, Chytræus, Cruciger, Gerhardus, Heilbrunnerus, Meelfurerus, Melanchthon, Venatorius, Weinrichius, Willichius.

PON.

PONTIFICII. Alesius, Espensæus, Magalianus, Soto major, *Epistola*
 Stævartius, Torres, Lovanio, Sasbout, Hesselus. *II. ad*
 Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & *Episto-*
 larum S. Pauli omnium cap. VIII. Lit. A. *Timoth.*

CAPUT XVIII,

DE

Epistola S. Pauli poste-
riore ad Timotheum.

BREVIARIUM.

Occasio Epistolæ. 1. Ejusdem argumentum. 2. Scripta est Romæ. 3. In vinculis non prioribus, sed posterioribus. Quod adversus Baronium probatur, solutis ejusdem objectionibus. 4. Capitum numero partes Epistolæ distinguuntur. Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ. 5.

I. *S*cribendæ etiam hujus ad Timotheum *Occasio*
 Epistolæ S. Paulo occasionem præbuere vincula,
 quibus Romæ attinebatur, mox, nobilis in-
 star vini super sacrificia effusi, libandus, & immo-
 landus Deo. Unde destitutus ab amicis Timo-
 theum ad se accersit, servituum sibi in vinculis, &
 confirmandum in doctrina cœlesti. prout etiam
 in Epistola ipsa eum confirmat, si fortè ante ad-
 ventum ejus contingeret, ut morte sua veritatem
 obsignet. Accedebat communis Ecclesiæ afflictio,
 quam Ecclesiæ ipsius doctores, disputantes acu-
 tius, quàm viventes rectius, tyrannorum minæ,
 & crux piorum auxerunt indies. Proin contra
 scandala ejusmodi Timotheum, aliósque munire
 statuit.

II. Summa Epistolæ huc redit. Gratias S. Pau- *Summa.*
 lus agit Deo pro Timothei fide, eúmque hortatur,
 ut exsuscitet donum sibi collatum, neque sua vin-
 cula sibi erubescenda putet: ut exemplar habeat
 sermonum sanorum, depositum custodiat, doctrinam

Epistola
II. ad
Timoth.

nam acceptam hominibus fidelibus tradat, se gerat bonum militem Christi, verbis ne pugnet, juveniles concupiscentias vitet, mansuetudini studeat. Deinceps vaticinatus de ultimis temporibus, Timotheum in iis, quæ didicit, manere, prædicationi instare, sobrietati studere jubet. Denique indicans propinquum suæ ἀναλύσεως tempus, Timotheum ad se festinare jubet.

Locus.

III. Romæ ex vinculis scriptam esse Epistolam, indubium est. Ipse enim se δέσμιον νικητῆρι nuncupat cap. I. 8. II. 9. & quidem ἐν Ῥώμῃ *Roma* cap. I. 17. liberatimque ἐκ στόματος λέοντος *ex ore leonis* Neronis cap. IV. 17. insinuat, & quid de se futurum sit, scilicet, ut libetur, & liberetur ab omni opere malo, salveturque in Regnum cœleste, cap. IV. 7. 18. significat, instans scilicet supplicium suum insinuans. Romæ autem supplicium subivisse ipsum, eo ipso die, quo Nero extinctus est, constans veterum traditio habet.

Tempus

IV. Hinc adeo sequitur ex vinculis non prioribus, sed posterioribus & emortalibus, quando dicere S. Paulus potuit cap. IV. 6. Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφύσθηκε. *Ego enim nunc libor, & tempus mea dissolutionis instat;* quæ verba sunt metam vitæ attingentis; Epistolam hanc, novissimam omnium, cygnæamque cantionem suam, exarasse. Ita etiam e veteribus Eusebius, Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, aliique. Cui sententiæ temerè Baronius ad A. C. 59. fs. 10. &c. ubi in prioribus vinculis, ante Epistolas ad Ephesios, Philippenfes, Philemonem scriptam pertendit, repugnat, ficulneis scilicet argumentis fretus, quod Paulus cap. IV. 16. πρῶτην ἀπολογίαν primam defensionem nominet; seque liberatum ex ore leonis, ut prædicationem suam impleat, v. 17. asserat: quod ib. v. 11. Lucam solum sibi adesse scribat, qui prioris captivitatis socius fuerit: quod ib. v. 13. petat penulam, biblia & membranas Troade relictas, non petiturus post annos duodecim in extremo vitæ discrimine constitutus. Etenim in iisdem posterioribus vinculis defensione non unâ defun-

gi, post primam liberari à morte, vinculis constructus licet; præconium suum in ipsis vinculis implere, eoque, ut & martyrio gentium aures ferire potuit. Et qui prioribus vinculis comes hæserat Lucas, idem posterioribus hædere potuit. Denique quid obstat, quò minùs post priorem ex vinculis liberationem, denuo Orientem peragrans, Troadem rursus viderit paulò ante posteriorem captivitatem, ibique penulam, biblia, membranas reliquerit?

Epistola II. ad Timoth.

V. Sicut in superiore, ita etiam in præsentè Epistola partium consecutionem frustra rimatus fueris, cum admonitiones variæ regulis non subsint. Denuo igitur capitum numero partes Epistolæ distinguere lubet.

Partes

I. *Admonitio de suscitando dono, patientia, tenenda.* I. *forma doctrina, & Onesiphori præconium, Cap. I.* De suscitando dono &c. Cap. I.
Prævia inscriptione & voto, (2.) Deo de Timothei, quem videre desiderat, fide gratias agit, (5.) eumque, ut suscitet donum Dei, (7.) pro Evangelio secundum potentiam Dei, qui gratiâ suâ salvat, suo etiam exemplo patiscat, (12.) exemplar sanorum sermonum retineat, depositum custodiat, (14.) hortatur, & notatis desertoribus suis, Onesiphoro bene precatur. (18.) cap. 1.

II. *Exhortatio ad fortitudinem, doctrinam sinceram aliis tradendam, patientiam, puritatem vitæ.* II. *Cap. II.* Admonitio ad fortitudinem &c.
Hortatur, ut corroboretur gratiâ, quæ est in Christo, (1.) accepta à se commendet hominibus fidelibus, (2.) militiam bonam exerceat, promissâ coronâ & fructu, (7.) pro Christo ex mortuis resuscitato suo exemplo, certaque spe vitæ ac Regni, pati consuescat, (13.) verborum inutilium pugnis absteat, probatùmque Dei operarium se exhibeat, (18.) cum solidum fundamentum Dei stet, (19.) parabolâ vasorum in domo causam, cur verborum pugnas quandoque permittat, indicans, (20.) denuo ad se expurgandum, cavendas concupiscentias juveniles, quæstiones stultas, mansuetudinem erga refractarios (26.) hortatur. cap. 2.

III. *Vaticinium de hominibus ultimorum temporum, persecutione bonorum, & profectu malorum, & admonitio ad constantiam in fide Verbi Dei.* III. *Cap. III.* De ultimis temporibus.
Instare ultimis diebus tempora difficilia, hominèsque pestifimos, (5.) quos, veluti penetrantes in domos, semper discentes, veritati resistentes vitari, se ad imitandum proposito, (11.) jubet; nec non bonis persecutiones incumbere, malos in pejus profecturos (13.) vaticina-

Epistola

II. ad

Timoth.

IV.

Exhortatio ad

præconium

fidele.

Cap. 4.

tus, constantiam in iis, quas didicit ex Dei verbo, ejus perfectionem asserit, suadet. (17.) cap. 3.

IV. *Exhortatio ad præconium fidele & constans, Timothei invitatio, & salutationes.* Cap. IV.

Coram Deo iudice vivorum & mortuorum Timotheum contestatur, prædicet sermonem intrepidè, cum tempus instet, quo sanam doctrinam non sustinebunt homines, (5.) prædicto suo post certatum bonum certamen libamine; (8.) tum ad se eum invitat, desertum ab omnibus, Luca excepto; (15.) liberationem ex hac vita prædicat, (18.) & salutationibus ac voto claudit, (22.) cap. 4.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ POSTERIORIS AD TIMOTHEUM.

Partes.

- I. Admonitio de suscitando dono, patientia, tenenda forma doctrinæ, & Onesiphori præconium, Cap. I.
- II. Exhortatio ad fortitudinem, doctrinam sinceram aliis tradendam, patientiam, puritatem vitæ, Cap. II.
- III. Vaticinium de hominibus ultimorum temporum, persecutione bonorum & profectu malorum; & admonitio ad constantiam in fide verbi Dei, Cap. III.
- IV. Exhortatio ad præconium fidele & constans, Timothei invitatio, & salutationes, Cap. IV.

Interpretes Epistolæ posterioris ad Timotheum.

S. PATRES. Scorsim nemo.

REFORMATI. Megander, Pricæus, Scultetus.

AUGUSTANI. Heilbrunnerus, Melanchthon, Weinrichius, Willichius.

PONTIFICII. Alesius, Espenæus, Magalianus, Soto-Major, Stævartius.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & Epistolarum S. Pauli omnium cap. VIII. Lit. A.



CAPUT XIX.

DE

Epistola S. Pauli ad
Titum.

B R E V I A R I U M.

Inscribitur Epistola Tito. Cujus persona describitur. 1. Occasio. Titus in Creta relictus. 2. Argumentum Epistolæ. 3. An Nicopoli scripta? 4. Tempus scriptationis indagatum. Capelli, Baroniï sententia improbata. Inter priora & posteriora vincula scriptam videri. 5. Partes duæ. I. Admonitio de Presbyteris in Creta constituendis. (cap. 1.) II. Præcepta à Tito variis hominum generibus impertienda. (cap. 2. 3.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ. 6.

I. **S**cripsit Epistolam hanc S. Paulus *Τίτῳ υἱῷ* Scriptio
τῷ τίτῳ κατὰ νοῦν πατρὶς, Tito germano filio,
secundum fidem communem, cap. I. 4. Fuit
Titus gente Græcus, Gal. II. 3. Patria & parentes in
obscuris sunt. Quanquam Corinthium fuisse non-
nulli conjectant ex Act. XVIII. 17. ubi in quibus-
dam Codicibus pro *Ἰσὺ* legitur *Τίτῳ*. quomodo
etiam Syrus legit, cujus domus in vicinia Corinthi
fuit. Secum duxit Paulus Antiochiâ Hierosoly-
mam, ubi conversus licet, circumcidi coactus non
est, sed præputium retinuit, ita statuente Paulo,
ut libertatis Christianæ argumentum hoc ad po-
steritatem omnem transmitteretur. Apostolo
præceptore eos in fide & pietate progressus fecit,
ut idoneus judicaretur, qui diversas ad Ecclesias,
colligendarum elemosynarum causâ, ablegaretur,
2. Cor. VIII. 6. 16. Vocatque eum Apostolus nunc
νοῦνον & *συνοργῶν*, 2. Cor. VIII. 23. nunc *ἀδελφῶν*

Epistola ad Titum 2. Cor. II. 12. hîc verò τέκνον γνήσιον, Cretæ & in vicinia Evangelium eum prædicâsse, ibidemque sepultum esse, Hieronymus *Catal. de Script. Eccles.* memorat. Certè relictum à se in Creta, ut reliqua, quæ deficiunt, curet, & oppidatim presbyteros constituat, Paulus ipse hîc cap. I. 5. testatur. Quod verò subscriptio eum vocat τῶν Κρητῶν ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χριστογενήτια, *Cretensium Ecclesiæ primum Episcopum electum*; sublæta fidei est. Certè nec Syrus, nec vetus Interpres Latinus illud legit. Neque ea ætate gradus ille Episcopalis dignitatis, ab ordinarii ministerii gradibus distinctus obtinuit.

Creta. II. Cretam insulam in medio Ponto sitam, Apostolus, Tito comite, ad fidem Christianam converterat. Nec dum tamen Presbyteros oppidatim constituit. Titum igitur in ea insula reliquit, eique negotium curandi Ecclesiam & Presbyteros præficiendi dedit. Cùm verò & rei magnitudinem, & improbos Sathanæ, zizania ubique spargentis, conatus, & Cretensium indolem malè fidam expenderet, Tito succurrendum duxit Epistolâ, quâ & in fide officioque imposito confirmaretur, & cujusmodi Presbyteri deligendi sint, quidque in insula Creta eum facere oporteat, instrueretur.

Argumentum. III. Argumentum Epistolæ idem ferè est, quod utriusque ad Timotheum. Jubet Titum Presbyteros oppidatim constituere, eorumque requilita describit. Tum etiam, quibus præceptis senes, viri, sceminae, juvenes, servi, domini, omnes imbuendi sint, ostendit. Denique quid hæretico homini faciendum sit, explicat.

Locus. IV. Nicopoli scriptam esse Epistolam, innuere nonnullis, cap. III. 12. videtur. Alia tamen fuit Nicopolis Macedoniae, alia Epiri, alia Armeniae minoris, alia Ciliciae, Ægypti alia, uti Strabo, alique Geographi nos docent. Incertum, quæ hîc intelligatur. Subscriptio Græca habet, scriptam ἀπὸ Νικοπολεως Μακεδονίας, *Nicopoli Macedoniae*. Sed id Syrus non habet. Et dubitari potest, an omnino Nicopoli scripta sit. Scribit enim Paulus

loc. cit. *Venito ad me Nicopolin.* Ἐκεῖ γὰρ κένηκα *Epistola*
παράκλησις. Ibi enim decrevi hiemare: non, ἰταῦντα *ad Titum*
hic. Nondum ergo scribens Nicopoli erat, sed eò
 demum contenderat, ut ibi hiemaret.

V. Scriptam esse Epistolam non in vinculis, sed **Tempus**
 à Paulo libero solutòque, arguit, quòd vinculorum
 nulpnam meminit, & se Nicopoli hiematurum
 cap. III. 12. prædicit, tanquam liber scilicet, & pro
 arbitrio huc illuc iturus. Et scriptam esse ante vin-
 cula priora, sub finem biennii illius, quod Ephesi
 Apostolus exegit, Lud. Capellus, aliique asserunt.
 Baronius verò ad A. Chr. 57. 58. vult, Paulum ex
 Macedonia mari delatum esse in Cretam, & isthic
 reliquisse Titum; inde in Græciam venisse, cùm-
 que inde pararet Evangelium annunciare in Illy-
 rico, Titum è Creta accersivisse, scriptâ ad illum
 Epistolâ, monuisseque, ut ad se Nicopolin veniret.
 Eam sententiam fusè Capellus *de Ord. Epist. pag. 67.*
 refellit. Nobis verò utraque sententia displicet,
 censentibus, ante priora vincula scriptam non esse,
 Lucas enim in Actis insulæ Cretæ à S. Paulo, Tito
 comite, conversæ nulpnam meminit; non taciturus,
 qui minora non tacuit. Rectius igitur inter priora
 & posteriora vincula, quando liber denuo Orien-
 tem peragravit, paulò post priorem ad Timo-
 theum, cui planè affinis est, scriptam Doctiff.
 Usserius judicat, cum quo illam ad A. Chri. 65.
 referimus.

VI. Partes Epistolæ duæ sunt, si ab Exordio & **Partes**
 Epilogo discesseris. *Primò* enim Titum de mini-
 sterio in Creta constituendo admonet, cap. I.
Secundò præcepta variis ordinibus inculcanda
 præscribit, cap. II. III.

- I. *Admonitio de ministerio in Creta constituendo, cap. I.* I.
 Inscriptione & voto præviis (4.) causam, cur Titum in
 Creta reliquerit, aperiens, (5.) quales Episcopos con-
 stituere debeat, explicat, (9.) contradicentesque, Ju-
 daeos inprimis, Cretenses semper mendaces severe
 redargui, (13.) ut sani sint in fide, & Judaicis fabulis ac
 præceptis hominum non attendant, (16.) jubet. cap. 1. De mi-
 nisterio Cretensi Cap. 1.
- II. *Præcepta à Tito variis hominum generibus imper-
 tienda. Cap. II. III.* Præcipi autem jubet II.
 1. *Senitus, ut sint sobrii, graves, sani fide, (5.) junioribus,* Præcep-
 ta varia 2.
 ut

*Epistola
ad Ti-
tum.*

ut sint sanis sensibus, quibus ut se exemplar præbeat, monet; (8.) *servis*, ut dominis subjiciantur, fidem bonam ostendant; (10.) argument^o pro omnium horum officiis inde petito, quod affulserit gratia Dei salutaris omnibus, erudiens ad abnegandam impietatem, & expectandam beatam spem & affulgentiam gloriæ Christi Salvatoris. (15.) *cap. 2.*

2. *Subditis*, ut obsequantur Principibus, neminem blasphement, mansueti sint erga omnes, (2.) cum etiam Deus erga nos inobedientes *φιλανθρωπικῶν* suam ostenderit, non ex operibus, sed secundum misericordiam suam, (7.) denique præcepta in summam colligens, inutiles sermones vitari, (9.) hæreticum post unam & alteram admonitionem rejici jubens, (11.) petit, ut se paret ad iter, Nicopolique ipsum conveniat, (13.) & Zenam quoque ac Apollinem studiosè dimittat, (14.) salutansque voto claudit. (15.) *cap. 3.*

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ AD TITUM

Partes.

I. Admonitio de Presbyteris in Creta constitutendis, Cap. I.

II. Præcepta impertienda

1. *Senioribus, juvenibus, servis*, c. 2.

2. *Subditis. Clausula Epistola*, c. 3.

Interpretes Epistola ad Titum.

S. PATRES. Hieronymus.

REFORMATI. Crocius (Lud.) Megander, Scultetus, Dalæus, Maestricht. *Angli*, Taylor (Thomas) Wallis.

AUGUSTANI. Agricola, Alesius, Cramerus, Heillbrunnus, Hoffmannus, Rhodomanus, Quistorpius, Schenk.

PONTIFICII. Espencæus, Magalianus, Soto-Major, Sasbout. Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & Epistolarum S. Pauli cap. VIII. Lit. A.

CAPUT XX.

DE

Epistola S. Pauli ad Philemonem.

BREVIARIUM.

Inscribitur Epistola Philemoni, Pbrygi, gentili. I.

Occasio

DE EPISTOLA AD PHILEMONEM. 599

Occasio Onesimus fugitivus in retia ejus inci- *Epistola*
 dems. Argumentum, ejus reconciliatio. 2. Scri- *ad Phi-*
 ptia est Romæ in vinculis prioribus. 3. Partes *lemem.*
 sunt Introitus, tractatio & Epilogus. Interpre-
 tes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii,
 & Tabula Synoptica Epistolæ. 4.

I. **S**cripta hæc à S. Paulo Epistola est *πρὸς Φιλῆμονα*. Inscri-
 ptio *ad Philemonem*. Quem genere Phrygem *ptio.*

Theophylactus, patriâ Colossensem Hiero-
 nymus, Laodicensem alii faciunt. Non Judæum,
 sed gentilem fuisse, inde nonnulli colligunt, quòd
 Onesimus gentilis v. 16. ejus *ἀδελφὸς καὶ ἐν σαρκὶ καὶ*
ἐν Κυρίῳ, frater in carne & Domino nuncupatur.

II. Scribendi occasionem præbuit Onesimus, Occasio
 servus fugitivus, qui Romam furti conscientia se
 proripiens, in Apostoli, captivi licet, retia incidit.
 Eum igitur ad Christum conversum hero suo *Argu-*
 Philemoni reconciliare nititur. Quòd cum eimen-
 difficile videretur, apud dominum justas ob causas *tum.*
 ei iratum, & fortassis, pro ingenio Phrygum,
 duriolem, omni orationis artificio eum aggreditur,
 culpam contractam deprecatur, & fidem suam pro
 omni noxa interponit.

III. Et Romæ scriptam esse, quia in vinculis; *Locus.*
 & in vinculis prioribus, quia v. 22. liberationis
 spem facit, extra dubitationis aleam positum est.

IV. Tres partes sunt Epistolæ, introitus, tra- *Partes.*
 ctatio, epilogus.

I. *Introitus.*

Philemoni, Apphiæ, Archippo gratiam & pacem pre- *I.*
 catur, v. 1-4. *Introitus.*

II. *Tractatio.*

Deo gratias agens ob compertam fidem & charitatem *Tracta-*
 Philemonis (9.) pro Onesimo recipiendo pluribus *tio.*
 argumentis intercedit, (21.) v. 4-22.

III. *Epilogus.*

Hospitium sibi parari jubens, (22.) salutem & claudit. (25.) *III.*
 v. 22.-f. *Epilo-*
gus.



*Epistola
ad He-
bræos.*

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ AD PHILEMONEM.

Partes.

- I. Introitus, v. 1--4.
II. Tractatio, commendatio & reconciliatio Onesimi, v. 4--22.
III. Epilogus, v. 22--f.

Interpretes Epistola ad Philemonem.

§. PATRES. Hieronymus.

REFORMATI. Danæus, Gomarus, Hummelius, Pareus, Scultetus. Angli, Atterfol, Dyxen, Goodwin, Hordei, Jonesius.

AUGUSTANI. Brentius, Gentilis, Quistorpius.

PONTIFICII. Fevardentius.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. Cap. I. & Epistolarum S. Pauli omnium Cap. VIII. Lit. A.

CAPUT XXI.

DE

Epistola ad Hebræos.

BREVIARIUM.

Ad Hebræos Epistola cur inscripta? Hebræi promiscuè quivis intelliguntur. Inscriptio authori ipsi meritò accepta refertur. 1. Scripta Epistola est non vel à Luca, vel à Barnaba, vel ab Apolline, vel à Clemente Romano, sed à S. Paulo. Quod argumentis pluribus confirmatur. 2. Cur nomen suum Epistola non præfixerit? Quo sensu per audientes in se confirmatam salutem cap. II. 3. dixerit? 3. Autoritas Epistolæ asserta adversus veteres, recentioresque. 4. Scripta Epistola est idiomate non Hebraico, uti Clem. Alexandrinus, aliique, & nuper Salmasius pertenderunt; sed Græco. 5. Occasionem scribendi præbuere Hebræorum infirmitas & afflictio, nec non suspicio, qua Paulus laborabat,

bat, quasi scilicet legi se opponeret. 6. *Argumentum Epistolæ.* 7. *Scripta est in vinculis Romanianis prioribus sub finem captivitatis.* 8. *Partes Epistolæ tres sunt.* I. *Adbortatio ad Hebræos, ut Christo magno Propheta, in quo Pater in novissimis diebus locutus est, religiosè attendant.* (cap. 1-4: 14.) II. *Adbortatio ad eosdem, ut ommissa servitute legis, uni Christo Pontifici confidant.* (cap. 4: 14--10: 24.) III. *Exhortatio eorum ad fidem, spem, patientiam, sanctitatem.* (cap. 10: 24--f.) *Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ.* 9.

I. **I**nscribitur Epistola hæc ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολή, *Inscriptio ad Hebræos Epistola.* Epistola nempe, quia ad eos, quibus præcipuè scripta est, *missa.* Ad Hebræos autem, quia exarata ad *Hebræos*, iisque destinata; sive intelligantur illi, qui *Hierosolymis*, aut certè in Palæstina degebant, antiqua gentis appellatione Hebræi dicti, Act. VI. 1. sive *Hellenistæ*, seu Græcienses Judæi cis Hierosolymam habitantes, Hellenistæ dicti, quòd omnes aut plerique Græcè loquerentur, & in Synagogis suis Biblia non Hebraica, sed Græca legerent; quanquam Salmasius Hellenistas dictos pertendit illos, qui gente extranei, proselytique adeò, ad Judaicam religionem convertébantur, sive denique Ecclesiæ omnes ex Judæis collectæ, adeòque *Judæi* promiscuè omnes, sive in Palæstina, sive in Syria, sive alibi terrarum, quòd verisimilius facit tum notio Hebræorum, omnes Judæos Israëlitas significans; tum argumentum Epistolæ, Judæos promiscuè omnes concernens. Quòd enim cap. XIII. 23. se Hebræos visurum pollicetur, non definitè, sed indefinitè intelligendun, hoc sensu, quòd omnino illorum quosdam, & forte illos, ad quos primò Epistola missa est, ex vinculis suis liberatus visurus sit. Porro inscriptio hæc cum & in Græcis codicibus & versionibus omnibus etiam antiquissimis extet, & à Tertulliano, reliquisque Patribus totidem verbis me-

Epistola
ad He-
braeos.
Scriptor

moretur, ipsi Epistolæ authori non immeritò accepta refertur.

II. De scriptore seu authore, Spiritus S. in hac Epistola amanuensi, non idem sensus omnium est. A Luca Evangelista scriptam esse jam olim Origenes apud Eusebium Hist. Eccles. VI. 19. pertendit, eumque sequuntur Calvinus & Grotius. Barnabæ authori tribuunt Tertullianus, Philastrius, Camero: Clementi Romano alii: denique Apollini Lutherus aliique. Nos Græcos veteres, Justinum, Clementem Alexandrinum, Athanasium, Cyrillum, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum; nec non Latinos, Hieronymum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, ac imprimis Confessionem nostram Helveticam secuti, à S. Paulo scriptam esse Epistolam nulli dubitamus, tum quia S. Petro 2. Epist. III. 15. 16. Paulus ad Hebræos *ἐν διασπορᾷ ἰν διασπορῆ* habitantes vel palantes scripsisse, & quidem certâ aliquâ Epistolâ, quam à reliquis Epistolis distinguit, & de iisdem rebus, de quibus Petrus etiam scripsit; (confer 2. Pet. III. 9-16. cum Hebr. I. 10. II. 3. III. 7. IV. 11. XI. 25. XII. 12. 25. &c.) & pro data sibi à Deo sapientia, adeoque cœlesti & reconditâ illâ, quâ inspiratus reliquas etiam Epistolas scripsit; & denique *συσπρότα τινὰ* quaedam intellectus *difficilia*, qualia in hac Epistola non pauca sunt, imprimis *συσπρότα* explicatu *difficilia* illa cap. V. 11. dicitur: tum quia circumstantiæ variæ S. Paulum authorem demonstrant, cujusmodi sunt, quòd scripta Epistola dicitur *ex Italia*, Hebr. XIII. 24. coll. cum Act. XXVII. quòd scriptor ille cap. X. 34. testatur, se in vinculis scripsisse, (nondum enim liberum fuisse, constat, quia dimissionem speravit cap. XIII. 19.) cum vinculorum suorum S. Paulus passim etiam in Epistolis suis meminerit, & eorum quidem, quæ Romæ in Italia sustinuit, disertè Phil. I. 13. quòd & vinculorum socium, & itinerum comitem Timotheum fratrem cap. XIII. 23. author inducit; cujus etiam mentio S. Paulo in Epistolis consueta satis; quòd cap. XIII. 18. se purgat, conscientiam testem appellando, planè uti S. Paulus

etiam

etiam Act. XXIII. 1. 2. Cor. I. 12. fecit; quòd denique Hebræorum preces implorat, uti Paulo quoque solemne erat, velut Rom. XV. 20. Col. IV. 3. &c. tum quia Epistolæ hujus materia, forma, ordo docendi, sententiæ, phrasæ, voces plurimæ, cum reliquis S. Pauli Epistolis probè conveniant. quod inductione probari potest: tum quia scopus hujus Epistolæ, legis Mosaicæ quoad ritus & cultum carnalem abrogatio, idem quoque reliquarum S. Pauli Epistolarum scopus fuit, uti in primis Epistolæ ad Galatas & Colossenses palàm faciunt: tum denique quia illis authoribus, quibus alii eam tribuunt, difficulter admodum adscribi potest. Non enim author esse potest *Lucas*, quia Profelythus ipse & Gentilis, (cùm hujus Epistolæ authorem Hebræum fuisse, *νομῆς*, qualis est cap. II. 1. XIII. 13. indicet) non eâ apud Hebræos autoritate pollebat, & stylus Evangelii ejus stylo Epistolæ hujus parùm congruit, cùm Lucæ plus Græcanicus sit, Epistolæ hujus Græcanicus etiam, sed Hebraïsmis, Syriaïsmis abundet. Non *Barnabæ*, cui circumstantiæ supra allegatæ non competunt, quique non Apostolus, nec miraculis inclytus, nec immediatè vocatus autoritatem apud Hebræos eam non habuit, quæ in Epistolæ hujus authore requirebatur; cuiusque etiam stylus, in Epistola, quæ ipsi Græco-Latina tribuitur, (rectè an secus, hîc non disputamus,) conspicuus à stylo hujus Epistolæ discrepat. Non *Clementi Romano*, utpote qui à Gentibus vocatus, in Hebræorum scriptis non ita versatus erat, cuiusq; dictio Hebraïsmis scaterere non potuit. Non denique *Apollini*, qui non erat Apostolus, cuique prædictæ circumstantiæ minùs favent.

III. Non præfixit autem S. Paulus nomen suum Epistolæ, more in reliquis ferè ejus Epistolis usitato, sive modestiæ causâ, quia *κρίσις gentium*, non *circumcisionis* seu Judæorum, Apostolus erat, Gal. II. 9. adeoque *περιεργάζεσθαι* aliud agere videri noluit: sive quòd nomine suo Hebræis invisio, in fronte prælato, Hebræos irritandos non duxit; in primis cùm apud eos suspitione laboraverit, quasi legem

Nomen
cur non
præfi-
xerit S.
Paulus?

Epistola
ad He-
braeos.

legem Moſis ſperneret, & defectionem ab eadem ſuaderet, Act. XXI. 21. Neque etiam obſtat, quòd author hujus Epistolæ cap. II. 3. profitetur, ſalutem cœptam prædicari à Domino, per audientes in ſe confirmatam eſſe. quibus verbis ſe Apoſtolorum diſcipulum, qualis Paulus non erat, nonnullis facere videbatur. Verba enim illa *eis ἡμᾶς in nos*, ſcilicet confirmata eſt ſalus per eos, qui audiverunt, per uſitatam ἀνακοινωνίᾳ ſive communicationem, qualis eſt 1. Cor. X. 8. 9. Hebr. VI. 1. X. 26. XII. 12. 1. Pet. IV. 3. facile intelliguntur. Dein etiam Paulus à Chriſto quidem ἀπεστός immediatè vocatus, in fide tamen βεβαίωθεὶς confirmatus eſt ab Anania, Act. IX. 17. 18. & aliis Rom. I. 12. multòque magis ab iis, qui Chriſtum viderant, 1. Joh. I. 1. ſaltem per illorum miracula. Sed & illa *eis ἡμᾶς* ſonare poſſunt, ad nos uſque, vel noſtra uſque tempora. Denique nec mentio doctrinæ Catechetiçæ cap. VI. 1. ætati Pauli non congruit, cum & ipſe 1. Cor. III. 1. 2. meminerit lactis, quo pueros in Chriſto potavit, & Act. XVIII. 25. meminerit Apollo κατηχημένον τὸν ὄλον τῆς Κυρίας inſtituti in via Domini. Plura qui de authore Epistolæ hujus cognoscere cupit, Celeberrimi Spanhemii doctiſſimas de argumento hoc diatribas conſulat, licet.

Digni-
tas Epi-
ſtolæ.

IV. Nullam igitur anſam vel abnegandi Divinitatem hujus Epistolæ, quod olim hæretici, Marcion, Arius, alii, & temerè etiam Latini quidam, Eusebio teſte, eam Novatianis favere dictitantes, fecerunt: vel hodiçque malignis ſuiſpicionibus eam onerandi habent Sociniani, Ene-dinus, Schlichtingius, alii, eò quòd incertus ſit author. Nam & ſigna authoris Pauli non obſcura ſunt. Sive etiam author ſit Paulus, ſive alii, nil hoc authoritati ejus, quæ à Spiritu S. primo authore pendet, derogat. Certè ne unum quidem Divinitatis Canonicæ argumentum jure hîc deſideratur. Doctrina, quæ hic traditur, tam excelsa eſt, quàm quæ maxime. Quæ in aliis ſcripturæ partibus attinguntur obiter, hic fuſius & tractantur & demonſtrantur. Moſi detrahitur velum, & myſteriorum
ejus

ejus rationes altissimæ panduntur. Scopus prorsus ^{Epistola} Divinus est, promotio gloriæ Dei in Christo, sine ^{ad He-} legis, ad justitiam omni credenti. Stylus gravis, ^{bræos} simplex, Majestate plenus, & rebus, quas tractat, sublimibus accommodatus. Primitus etiam Epistolam in Ecclesia pro Canonica receptam esse testatur Theodoretus, non attentis rationibus, ob quas *οἱ ἀντιλέγοντες* eam jugulare conati sunt. Tertullianus ut Divinam laudat, & in Græciam missa à Græcis lectitabatur, licet Latini præjudicio impediti tardius ejus authoritatem sibi approbari passi sint.

V. Dubitatum est, quâ linguâ Epistola hæc ^{Lingua} scripta sit. Hebraicâ scriptam esse, Veteres non pauci, Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Hieronymus opinati sunt, à Luca vel Clemente Græcè conversam statuentes; cui sententiæ etiam Cl. Salmasius *de Hellenistica pag. 255.* secundas facit. Sed textum Hebræum à se visum, nemo veterum testatur. Et manavit hæc traditio à Clemente Alexandrino solo, non alia ratione seu conjecturâ ducto, quàm quòd ad Hebræos scripta esset. Cum tamen non ad solos Hebræos Palæstinos, sed ad dispersos etiam, Hebraici idiomatis parùm callentes, scripta fuerit. Ad Hebræos etiam scripserunt Jacobus, Petrus & Johannes, nec tamen Hebraicè. Ad Romanos Paulus, nec tamen Latinè. Græcè ergo scriptam esse hanc Epistolam non dubitamus. Hæc enim lingua, uti orbi universo, ita etiam Hebræis, Palæstinis etiam, Josepho & Thalmudicis, quos apud Doctiss. Ligthfootum videre est, certibus, notissima erat. Græcum quoque exemplar ab Ecclesiis acceptum, vulgatum, in alia idiomata conversum, & Divinâ Providentiâ conservatum est, non aliud ullum. Neque Græca editio translationis notas habet ullas; sed Græcanitatis puræ plenas. Elegancia etiam scriptionis illius versionem non sapit. Loca quoque V. T. ex Græca translatione citantur, ex Hebræo potius citanda & traducenda, siquidem Hebraicè primitus scripta esset. Tæto idiotissimos Græcos, qui heic apparent, ^{veluti} quod

Epistola ad Hebraeos. quòd *διαθήκη* & *διατίθεσθαι* testamenti & *testandi* notionem hinc habent, cum *ברית* Hebræorum quodlibet pactum sonet. Paronomasiæ quoque, in quibus sibi Græci præ cæteris placent, frequentes hinc occurrunt. veluti cap. V. 8. XI. 37. Denique vocem Hebræam Melchisedec Græcè Author transtulit.

Occasio VI. Occasionem exarandæ hujus Epistolæ S. Paulus geminam habuit. Priorem suppeditârunt *Hebræi*, eorum videlicet tum infirmitas, qui, licet nomen Christo dedissent, legi tamen, ceremoniis & cultui Levitico ægrè admodum valèdixerunt, errore apud multos etiam affectato, uti liquet ex cap. V. 11. 12. tum afflictio, quam à Gentilibus suis sustinuerunt: tum blasphemix, quas perpetiebantur, quasi apostatæ cuidam Nazareno plus quàm Mosis ipsi tribuerent: tum denique persecuciones quas ob nomen Christi sustinebant, uti ex cap. X. 34. colligitur. Posterior ab ipso Paulo pendeat. Non tantum enim juvandi populares suos singulari amore & zelo flagrabat, sed etiam amolendam putabat suspicionem, in quam adductus erat, quasi nimis rigidè se ceremoniis legis Mosaicæ opponeret, & libertatem Christianam liberaliter nimis prædicaret.

Argumentum. VII. Sic igitur S. Paulus in hac Epistola Judæos imbecilliores, qui erant *ζηλωται τῆ νόμου*, *amulatores pro lege*, Act. XXI. 20. in doctrina Evangelii instituit, Jesum Christum verum esse Deum & hominem, magnum Prophetam, cujus doctrinam contemni nefas sit; verum item unicúmque Sacerdotem ac hostiam perpetuam esse, sic ut ad expiationem & purgationem nullis opus sit Aharonicis vel Sacerdotibus vel victimis, nihilque ad absolutam justificationem desit ei, qui Christum in fide possidet, demonstrat: fide omnes Testamenti Veteris Sanctos placuisse Deo, eique patientiâ, charitate & innocentia vitæ inserviisse asserit, utilisque denique vitæ institutiones, & salutare promit. Sicque ad eò Hebræos ad fidem firmam, sinceram & frugiferam in Christum, ad conglutinationem

cum

eum fidelibus Christi crucem ferentibus, inutilis ^{Epistola} servitutis relictionem excitat, adversus gentilium ^{ad He-} suorum blasphemias & persecutiones confirmat, ^{bræos.} gravemque de se conceptam suspicionem amolitur. Denique Epistola hæc commentarius quidam est vocis Dei Patris Coelitus auditæ non semel: *Hic est ille Filius meus dilectus, in quo acquiesco. Hunc audite.* Esaj. XLII. 1. Matth. III. 17. XII. 18. XVII. 5.

VIII. Tempus scriptionis quod attinet, in ^{Tempus} genere constat scriptam esse Epistolam & post ^{scriptio-} Timothei liberationem è carcere, cap. XIII. 23. & ^{nis.} ante sanguinea illa tempora, quæ mox sequebantur, cap. XII. 4. Et eodem quidem, quo Epistola ad Philippenses & Philemonem scripta est, tempore scriptam esse, argumento est, quòd sicut in illis Epistolis, Philip. I. 26. Philem. 22. ita etiam in hac cap. XIII. 23. restitutionem suam adventumque pollicetur. Adeoque vel biennio illo, quo libera Romæ in custodia detinebatur, sive expleto, sive mox explendo, uti Chrysostomus, Theodoretus, Baronius, Blondellus, Usserius statuunt: vel post libertatem Paulo Anno Christi 65. redditam, uti alii pertendunt.

IX. Tres sunt Epistolæ hujus Divinissimæ par-^{Partes.} tes. *Primò* enim S. Paulus Hebræos adhortatur, ut Christo, Filio Dei & hominis, magnoque Prophetæ loquenti & docenti attendant & obsequantur religiosè, cap. I-IV. 14. *Secundò* eosdem hortatur, ut confessionem & fidem in Jesum Christum Pontificem magnum retineant, cap. IV. 14--X. 24. *Tertiò* doctrinam præcedentem ad usum applicat, & Hebræos ad patientiam, fidem, spem, sanctitatem, aliásque virtutes excitat. cap. X. 24--f.

- I. *Adhortatio S. Pauli ad Hebræos, ut Christo Filio Dei & hominis, magnoque Prophetæ, in quo Pater in extremis diebus locutus est, religiosè attendant.* ^{I. Adhortatio ad attendendum Christo. Cap. 1.} Cap. I-IV. 14. Ubi
1. Solum filium Dei audiendum docet, quia in eo, hærede omnium, conditore Seculorum, splendore gloriæ Patris, purgante nos per semetipsum, Pater in ultimis diebus locutus est, (3.) ipsèque major est Angelis, ut pote ^{Filius}

Epistola
ad He-
bræos.

- Filius Dei primogenitus, (6.) ab Angelis adorandus, (6.) Dominus & Rex, cum Angeli sint spiritus ministri; (9.) Jehova Creator æternus & immutabilis, (12.) ad dextram Dei erectus. (14.) *cap. 1.*
2. Audiendum filium docet, tum ne præterfluamus, (1.) tum quia sermo per Angelos dictus, justam pœnam habuit, quanto magis sermo dici coeptus per Dominum, & variè confirmatus? (4.) tum quia non audiens habitabilis futuræ Christo soli, minori ad tempus Angelis facto, ut pro omnibus mortem gustaret, & princeps salutis per passiones consummaretur, sed post gloriâ coronato, subjectæ particeps fieri nequit; (10.) ubi principis illius salutis requisita communio carnis & sanguinis cum fratribus asserendis, mors, & similitudo cum fratribus in omnibus, etiam tentationibus exponitur. (18.) *cap. 2.*
3. Audiendum eundem docet, quia major est Mose, qui fidelis minister fuit in domo Dei; cum Filius Dominus sit ejus domus, fidelium scilicet, quam ipse ut Deus construxit, (6.) & quia jam olim non audientes vocem Jehovæ, Filii, sed eum tentantes, exacerbantes, à requie exclusi sunt, quod multò magis hodie continget iis, qui cor malum infidelitatis habent, & à Deo vivo discedunt. (19.) *cap. 3.*
4. Audiendum eundem docet, quia audientibus promisit introitum in requiem; si videlicet crediderint. (3.) quam requiem nec in creatione, (7.) neque in introitu in terram Canaan, (8.) præstitam esse, sed superesse populo Dei; (10.) ingrediendamque ab eo, nî exemplo inobedientium olim cadere velint; (11.) imprimis cum sermo ejus sit vivus, efficax, (12.) ipsique intima quæque pateant. (13.) *cap. 4: 1-14.*
- II. II. *Adhortatio ad eosdem, ut ommissa servitute legis, uni Christo Pontifici confidant. Cap. IV. 14-X. 24.*
Ubi est
1. *Adhortatio, cap. 4: 14-f.* Hortatur nempe, cum Pontificem habeamus, qui Cœlos transcendit; compatiens infirmitatibus nostris, (15.) ut ad illum cum fiducia ad thronum gratiæ accedant. (16.) *cap. 4: 14-f.*
5. 2. *Demonstrationes adhortationi illi inservientes. cap. 5: 10: 24.* Ubi S. Paulus
- a. Expositis Pontificis requisitis, (4.) Christi ad Sacerdotium vocationem, consummationem per passiones, & Sacerdotium secundum ordinem Melchisedeci asserit; (10.) ubi de sacerdotio Melchisedeci dicturo sibi ob stare Hebræorum supinitatem & infantiam queritur. (14.) *cap. 5.*
6. b. Per digressionem Hebræos incitat, ut nitantur ad perfectionem, (1.) tum quia feliciter positò fundamento superstruendum sit, ne in principiis hærentes prolabantur, atque sic ad pœnitentiam renovari nequeant; (8.) tum quia spes certa appareat gratiæ Dei pro-

proficiendi, & in bono opere perseverandi, (12.) *Epistola ad Hebræos* exemplo Abrahami, qui longanimitate usus benedictionem assecutus est, (15.) tum quia Deus se juramento fidelibus obstrinxit, ejusque propositum promissione & juramento nixum spei nostræ certissimum fundamentum sit. (20) *cap. 6.*

e. Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci Filium Dei esse docet, descriptione personæ Melchisedeci, (2.) ejusque cum filio Dei in nomine, generatione, æternitate, convenientiâ, (3.) & supra Abrahamum eminentiâ demonstratâ. (10.) Unde sacerdotium Aharonicum transponendum, seu abolendum esse infertur, quia alius Sacerdos alterius generis surgit, (14.) Christus Sacerdos est non secundum legem carnalem, sed potentiam vitæ indissolubilis, (17.) non lex, sed promissio consummat, (19.) Christus melioris Testamenti sponsor est, (22.) Sacerdos Aharonicus non manet, sicut is, qui secundum ordinem Melchisedeci est, (25) & solus Christus ejusmodi Sacerdos est, per quem ad Deum accedere possumus. (28.) *cap. 7.*

7.

d. Sacerdotii Levitici abrogationem porro probat, quia Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci sacrificium suum non in terra Deo repræsentat, sed in dextra throni confidens, vero tabernaculo inservit, (5.) prius etiam Testamentum antiquari, atque novum introduci debuit. (13.) *cap. 8.*

8.

e. Legis seu Sacerdotii Levitici abolitionem probat, ex ratione ipsius tabernaculi, cujus ministerium tum significavit, viam ad Cælum apertam non esse, tum conscientiam consummare non potuit; (10.) & quia contra Christus Pontifex futurorum bonorum per majus & perfectius tabernaculum, nec per hircorum sed proprium sanguinem intravit semel in sancta. (12.) quod inde demonstrat, quia ejus, non hircorum sanguis à peccatis purificat, (14.) necessarius scilicet ad dedicationem N. T. (22.) & ad purificationem sanctuarii, (24.) & ad abolitionem peccati etiam sine repetitione abundantissimus, (28.) *cap. 9.*

9.

f. Sacrificii Christi unici sufficientiam probat, quia non uti Levitica, umbram habentia, & accedentes non consummantia, repeti debuit, (4.) utpote conjunctum cum obedientia & sanctificatione voluntatis ac nominis Dei, (10.) ipseque post oblatum sacrificium non amplius in mundo est, sed consedit ad dexteram Dei, (13) una oblatione omnes sanctificans; (14.) denique juxta Divinam promissionem remissio succedere debuit, nullum recordationi peccati locum relictura. (18.) Concludit, fiduciam habentes ad introitum Sanctorum in sanguine Jesu, accedere jubet cum vero corde in plenitudine fidei, & tenere spei astipulationem indeclinabilem. (23.) *cap. 10: 1-24.*

10.

Epistola III. Exhortatio Hebræorum ad fidem, spem, patientiam, ad Hebræos. Cap. X. 24--f. Ubi S. Paulus

III. Exhortatio ad fidem.

1. Exhortatur, ut alii alios considerent ad extirpationem charitatis, bonorumque operum, (24.) congregationem ne deserant, quia dies appropinquat, voluntarie peccantibus grave iudicium portendens; (31.) recordentur pristinos dies, in quibus illuminati frequens certamen passionum sustinuerunt, vinculis suis condoluerunt, (35.) patientiam colant, (37.) fidei operam dent, cum non sint filii subductionis ad interitum, sed fidei ad acquisitionem. (39.) cap. 10: 24--f.
11. 2. Fide descripta, (1.) exemplo credentium omnium, (3.) Habelis, (4.) Enochii, (6.) Noæ, (7.) Abrahami, & Patriarcharum, (22.) Moysis (29.) Josuæ, (30.) Rahabæ, (31.) similium, (38.) inducitur, eosque per fidem promissione non potitos esse, Deo de nobis providente quid melius, ne sine nobis consummarentur, asserit. (40.) cap. 11.
12. 3. Hortatur tum ad certamen per patientiam decurrendum, (1.) duce proposito Christo, qui crucem sustinens in throno Dei confedit, (3.) & quod filii, à Deo dilecti, non spurii, sint, qui castigantur, (8.) æquumque sit, Patri spirituum subjici ad vitam & fructum pacificum justitiæ; (11.) tum ad tolerantiam & confirmationem infirmorum, (13.) tum ad studium pacis & sanctificationis, (17.) cum non ad montem Sinai, sed Sion & Testamenti Novi Mediatorem accesserint; (24.) quem amplectendum monet, proposita poena recusantium, & regno inconcusso parentum. (29.) cap. 12.
13. 4. Hortari pergit ad *φιλανθρωπίαν*, (1.) hospitalitatem, (2.) victorum recordationem, (3.) castitatem thori, (4.) *αυταρχειαν*, (6) recordationem & imitationem eorum, qui sermonem Dei locuti sunt, (7.) constantiam in fide Christi, qui semper unus, (9.) exitum ad Christum, altare nostrum extra castra, ad portandum ejus improperium, & hostias laudis ei offerendas, (15.) beneficentiam, communionem, (16.) obedientiam erga ductores, (18.) & precationem pro iis. (19.) Quæ ut præstent, Deum precatur, (21.) & brevitate excusata, (22.) commendatogue Timotheo, (23.) cum voto claudit. (25.) cap. 13.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.

Partes.

- I. Audiendum esse Christum Prophetam, cap. I--IV: 14.
 1. Quia hæres omnium, major Angelis, c. 1.
 2. Quia non attendens punietur justè, neque hæres erit habitabilis, non Angelis, sed Christo subjecta, c. 2.
 3. Quia

3. Quia major Mose, & jam olim vocem ejus non audientes à requie exclusi sunt, c. 3. Epistola ad Hebræos.

4. Quia audientibus promissus est introitus in requiem, antehac non prestitus, c. 4: 1--14.

II. Confidendum esse Christo Pontifici, cap. IV:

II 4--X: 1--24. ubi est

1. Hortatio ipsa, c. 4: 14--f.

2. Demonstratio

a. Quòd sit Sacerdos, secundum ordinem Melchisedeci, c. 5.

b. Quòd ad perfectionem tendendum sit omissis principiis, c. 6.

c. Quòd Melchisedeco exactè respondeat in omnibus, adeoque Abaronicum Sacerdotium abrogandum sit, c. 7.

d. Quòd Sacerdos sit in Cælo, & Testamentum vetus abolendum sit, c. 8.

e. Quòd veteri tabernaculo successerit novum, cujus Pontifex Christus sit, c. 9.

f. Quòd sacrificium Christi sufficiens sit, c. 10. 1--24.

III. Hortatio ad officia vitæ, cap. X: 24--f.

1. Ad charitatem, bona opera, congregationem ob appropinquans judicium, c. 10: 24--f.

2. Ad fidem, cujus exempla inducuntur, c. 11.

3. Ad certamen per patientiam, sanctitatem, c. 12.

4. Ad amorem mutuum, castitatem thori, constantiam in fide, &c. c. 13.

Interpretes Epistola ad Hebræos.

S. PATRES. Constantinus Presbyter.

REFORMATI. Gomarus, Grynæus (Jac.) Heideggerus, Nahum, Oecelampadius, Pareus, Perkinsus, Scultetus, Spanhemius, Zwinglius, Braunius, Calvinus, Cameræ Junius, Meztrezatius, Groenwegen, I. Altingius, Akersloet, Creighton, Hoek, Nemethus, Wittichius. Angli, Dikson, Gouge, Jonesius, Lowson, Luffingthor, Owenus, Rollocus, Deering.

AUGUSTANI. Gerhardus, Grawerus, Hegendorfius, Lyserus, Ofiander (Luc.) Quistorpius, Mejenreis.

PONTIFICII. Croquetius, Delphinus, Deringus, Grandis, Palatio, Ribera, Stævartius, Tena, Vasquez, Sasbout.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & Epistolularum Paulinarum omnium Cap. VIII. Lit. A.

Epistola
S. Jacobi

CAPUT XXII.

DE

Epistola S. Jacobi.

BREVIARIUM.

Inscriptio Epistolæ. 1. Author Epistola fuit Jacobus, non Zebedæi filius, major dictus; nec Justus, Oblitas dictus, ex 70. discipulorum numero; sed Alphæi filius, minor dictus, Apostolus, & forte Episcopus Hierosolymitanus. De ejus passionibus fabulæ veterum. 2. Inscribitur duodecim tribubus in dispersione, hoc est, Judæis fidelibus extra terram Canaan dispersis. 3. Autoritas ejus adversus veteres & recentiores asserta. 4. Occasio Epistolæ gemina fuit, afflictiones fidelium & detorsio doctrine Apostolicæ de fide justificante. 5. Argumentum Epistolæ. Ejus usus hoc tempore maximus. 6. Chronotaxis. 7. Tot Epistolæ partes sunt, quod capita, utpote libera satis methodo scriptæ. Interpretes veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica ejusdem. 8.

Catho- I. **I**Nter Epistolas Catholicas, seu Canonicas prima pri-
ma. more loco ponitur Ἰακώβου ἑ' Ἀποστόλου ἐπιστολὴ καθολικὴ, Jacobi Apostoli Epistola Catholica inscripta ταῖς δωδεκά φυλααῖς, ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, cap. I. v. I

Scriptor II. Author igitur fuit Jacobus τῆ Θεῶ καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δούλος, Dei & Domini Jesu Christi servus cap. I. i. non Zebedæi filius, frater Johannis, dictus Jacobus major; uti Syrus Interpres Widmenstadii, Lucius Dexter in Chron. & Sixtus III. Bibl. Patr. tom. 5. statuunt; cùm id nec tempori vita illius, utpote qui ab Herode maturè sublatus propagaturum

pagatum inter Judæos & gentes Evangelium col-
 lectâssque Ecclesias, cap. I. 1. non vidit; nec materiæ *Epistola*
 scripti, quod de moribus potiùs quàm fide agit, *S. Jacobi*
 adeoque tum exaratum est, quando doctrinæ fidei
 abusus invaluit; satis quadret: sed Alphæi filius
 Matth. X. 3. frater, hoc est, cognatus Domini
 Gal. II. 19. & frater Judæ, v. 1. ætatis suæ, cum
 altero Jacobo, comparatione dictus *μικρὸς minor*,
 Marc. XV. 40. virtutum fama ac præstantia unâ
 cum Petro & Johanne nuncupatus *σύλη columnæ*,
 Gal. II. 9. qui Concilii Hierosolymitani præsidem
 egit, Act. XV. 13. neque tantùm discipulus Christi,
 ex L. XX. discipulorum numero, quem Veteres
Jacobum Justum, & Obliam, (hoc est, *murum*, ut
 Epiphanius obscura ratione interpretatur,) dixere,
 sed verè *Apostolus*, uti Inscriptio habet; & fortè
 etiã Episcopus Hierosolymitanus, non quòd sedi
 vel Ecclesiæ illi affixus fuerit, sed quòd ad omnium
 Ecclesiarum utilitatem promovendam, paulò
 diutiùs ibi, ex consilio reliquorum Apostolorum
 substiterit. De passione ejus varia, à fabulis parùm
 abludentia, legere est apud Eusebium *Histor. Eccles.*
lib. II. 23. ubi citantur Egesippus & Clementis
 hypotyposes, de quibus pluscula Scaliger *Animadv.*
in Eusebium numer. MMLXXVII. Henricus
 Valesius in Notis ad locum illum Eusebii; nec
 non Ursinus in *Analectis, Tom. II. Lib. V. 7.*

III. Scripta Epistola est *duodecim tribubus in di-* Inscri-
spersione, cap. I. v. 1. adeoque Judæis, non infide- ptio.
 libus, sed veris Israëlitis fidelibus, fidem Christi
 professis, sperantibus in Deo vero & vivo, quo-
 cunque in loco illi habitarent. Consolationes
 enim, quibus referta hæc Epistola est, nec non
 exhortatio, *ut fidem suam habeant non in acceptione*
personarum, cap. II. 1. ad Judæos infideles non
 pertinent. Passim etiã *fratres & dilectos* vocat.
Διασπορὰς dispersiones etiã intelligit non tam par-
 ticulares & recentiores, quàm universales & vete-
 res, Israëlitarum extra terram Canaan, sive in O-
 riente, sive in Occidente habitantium. In priori-
 bus

*Epistola
S. Jacobi*

bus enim dispersionibus non habuerunt distinctos cœtus, quos hîc Jacobus cap. II. 2. alloquitur; sed cum reliquis, quos invenerunt, Christianis unum in cœtum coaluerunt.

*Autho-
ritas.*

IV. De Epistola hac scribit Eusebius *Hist. Eccl. cap. II. 22.* illam à Veteribus *ἡρώδης ἑταίρου ἀδελφίνην* haberi, & non multos ad eum ejus meminisse. Addit tamen, se eam à pluribus Ecclesiis receptam, approbatamque reperisse. Hieronymus quoque in *Catal. Script. Eccles.* scribit, ab alio quodam sub nomine Jacobi scriptam afferi; licet, inquit, paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Quòd non ita, ut reliquæ pleræque, à veteribus omnibus memorata est, causa esse videtur, quia *Catholica*, hoc est, ad neminem privatim scripta, sicut ad Romanos, Corinthios, Galatas, &c. scriptæ aliæ Epistolæ, illarum Ecclesiarum, ad quas scriptæ sunt, testimonium habentes, in reliquarum notitiam facilius venerunt. Huic verò, aliisque Catholicis accidere potuit, quod omnibus scriptis, quæ nulli destinantur privatim, sed ita scribuntur, ut Divinæ relinquuntur Providentiæ, in quorum manus ea ventura sint. Interim & veteres non paucos Epistolæ hujus meminisse, & paucorum silentium, nec non scrupulos à recentioribus, Cajetano, Luthero, Centuriatoribus motos nil auctoritati ejus derogare, abundè *Dissert. Select. Tom. I. Dissert. XII. 2. 3. 4.* ostendimus. Plura etiam contra Ægidium Hunnium de eo Cl. Gomarus in *Jac. cap. I. pag. 663.* disputavit, quæ consuli possunt. Certè sanctam, Apostolo Christi dignam, & salutaribus ac necessariis documentis refertam, adeoque verè Divinam & Canonicam Epistolam esse, dubitari nequit.

Occasio

V. Quam scribendi Epistolam hanc occasionem Jacobus habuerit, ipsemet cap. I. & II. non dissimulat. Foris nempe tum tyranni, tum Judæi infideles Christianos infestârunt. Intus verò hypocritæ S. Apostolorum de justificatione per fidem sine operibus doctrinam ad licentiam vitæ nefariè detorserunt. Utrisque occurrendum tum

con-

consolationibus salutaribus, tum correctione opi- *Epistola*
 nionis pravae, quasi ad salutem externa professio *S. Jacobi*
 fidei abunde sufficeret, ac de cætero genio indul-
 gere, improbèque vitam transigere fas esset,
 Apostolus duxit.

VI. Sic igitur S. Apostolus duodecim tribus *Argu-*
 dispersas hortatur ad patientiam, sapientiam in *men-*
 fide, humilitatem; tentationum originem pandit, *tum,*
 contra prosopolepsiam in prælatione divitum in
 Ecclesia, & de fide operibus demonstranda, de
 lingua coercenda, honesta conversatione insti-
 tuenda differit, aliàque ad vitæ sanctæ informatio-
 nem pertinentia graviter inculcat. Neque adèò
 tam fidei doctrinam, satis ante à S. Paulo, aliisque
 instructam, quàm morum disciplinam tradit, my-
 steriòque fidei superstruit. Si quæ autem alia, hæc
 certè Epistola nostro ævo, quo fidem Christianam
 professi plerique eo animo ingeniòque sunt, quo
 fuerunt illi, quos ferire voluit, aprimè quadrat,
 conducitque plurimùm.

VII. Scriptionis tempus certò definiri non *Tempus*
 potest. Neque illud cognoscere, multum fidei &
 salutis nostræ refert. Id unum probabiliter statui-
 mus, scriptam esse sic satis serò, post scriptas Epi-
 stolas Paulinas plerasque, vel omnes, utpote qua-
 rum abusus & detorsio scriptioni huic ansam præ-
 buit. Non obscurè etiam cap. IV. 8. ad 2. Tim. I. 7.
 alludere videtur, ut scripta omnino post Epistolas
 Paulinas omnes (postrema enim Paulinarum, po-
 sterior ad Timotheum) existimari possit.

VIII. Via tractationis seu methodus liberior *Partes.*
 est, ut in consolationibus, exhortationibus & ob-
 jurgationibus fieri solet. Proin partitionem omis-
 suri, capitum argumenta tradere satis habebimus.

I. De patientia in tentationibus, harumque origine. I.

Cap. I.

Inscriptione & voto præviis, (1.) lætandum docet in ten-
 tationibus, quia perfectos & integros præstant, (4.)
 eumque in finem petendam à Deo sapientiam monet
 in fide, (8.) humilitatem commendat, quia homo veluti
 flos agri præterit; (11.) beatum pronuntians patien-
 tem tentationum; (12.) & tentationum originem à

De pa-
 tientia.
 Cap. I.

*Epistola
S. Jacobi*

concupiscentia, non à Deo, quippe omnis boni dator; qui sermone veritatis nos genuit, derivans, (18.) aures ad audiendum invitat, linguam & iram cohibendam docet, (20.) insitum sermonem in mansuetudine recipi, (21.) & legem facere, non audire duntaxat, (25.) linguam frenare, cum vera religio non in ostentatione consistat, (27.) jubet. *cap. 1.*

II.
De pro-
fopole-
psia, &c.
2.

II. *De profopolepsia in preferendis divitibus, & fide operibus demonstranda. Cap. II.*

Vetans fidem habere in acceptione personarum, quia Deus elegit pauperem, (7.) & lex Regia jubet diligere proximum, sine transgressione ullius mandati, (13.) eandem fidem non verbis jactandam, sed operibus demonstrandam, (18.) cum etiam dæmones credant, (19.) & Abrahamus non sola fide, sed operibus justificatus, seu justus demonstratus sit, docet. (25.) *cap. 2.*

III.
De lin-
gua, &c.
3.

III. *De lingua refrenanda, & conversatione honesta ac tranquilla. Cap. III.*

Ne multi doctores fiant, vetat, quia majus hi judicium accipient, (1.) & in multis omnes offendimus, (2.) magnaque vis linguæ est in utramque partem, quam non nisi perfecti frenare possint, (3.) difficilique admodum est, multos homines, velut ingentem navim procellis agitatum flectere, (5.) denique & aberratio levis noxam affert, (6.) difficilior illa, quam feræ, domatur; (12.) Tum veram sapientiam in eo versari docet, ut qui in mansuetudine sapientiæ conversetur, & zelum amarum non habeat, (14.) veræ & fucatæ sapientiæ notas explicans. (18.) *cap. 3.*

IV.
De bel-
lis, &c.
4.

IV. *De bellorum causa, obedientia, luctu, obtreccatione, opportunitate boni operis. Cap. IV.*

Bellorum causam asserit concupiscentiam, invidiam, quam coarguit, (6.) subjectionem, approximationem ad Deum suadet, (8.) importunam vitulationem dissuadet, (10.) obtreccationes prohibet, quia obtreccator iudex est legis, (12.) fiduciamque sui ad temporis à Deo ad bene agendum concessi abusum redarguit. (17.) *cap. 4.*

V.
De divi-
tibus,
&c.
5.

V. *De calamitatibus divitum, patientia, veracitate, & charitate circa ægrotos & errantes. Cap. V.*

Divitibus calamitates magnas, æruginem auri & argenti, eos ignis instar consumpturam prædicit, (6.) longanimitatem usque ad adventum Domini, ante fores stantis, (11.) veracitatem & simplicitatem sermonis, (12.) orationem in adversis, lætitiâ in secundis, (13.) & charitatem circa curam ægrotantium, quos ungi & precibus juvari jubet, (18.) nec non circa conversionem errantium, (20.) commendat. *cap. 5.*

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ S. JACOBI.

*Epistola
I. S. Jacobi.*

Partes.

- I. De patientia in tentationibus, harumque origine, cap. I.
- II. De prosopolepsia in præferendis divitibus, & fide operibus demonstranda, cap. II.
- III. De lingua refrenanda, & conversatione honesta ac tranquilla, cap. III.
- IV. De bellorum causa, obedientia, luctu, obtreptione, opportunitate boni operis, cap. IV.
- V. De calamitatibus divitum, patientia, veracitate, charitate circa ægrotos & errantes, cap. V.

A. Interpretes Epistolarum Catholicarum omnium.

S. PATRES. Didymus Alexandrinus, Oecumenius, Clemens Alex.

REFORMATI. Alstedius, Aretius, Calvinus, Gomarus, Angli, Diksonus, Pricæus.

AUGUSTANI. Hemingius, Hefshusius, Hornejus, Sarcerius, Turnemainus.

PONTIFICII. Capito (Felix.) Champherius, Catharinus, Estius, Felicianus, Ferus, Guillaudus, Hefselius, Justinianus, Lorinus, Prateolus, Primaticcius, Serarius, Titelmanus, S. Thomas, Cajetanus, Gagnæus.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. omnium, Cap. I.

B. Interpretes Epistola S. Jacobi.

S. PATRES. Clemens Alexandrinus, Zonaras.

REFORMATI. Laurentius, Paræus, Zwinglius, Antonides, Angli, Manton, Mayer, Thurnebullus, Tukus, Dixon.

AUGUSTANI. Althamerus, Brochmand, Christophorus, Winkelmannus, Kerner.

PONTIFICII. Bracchus, Cavortus, Daza, Fevardentius, Fotengius, Gail, Logenhagen, Pæz, Quiros, Stævartius, Gregorius de Arimino.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. omnium Cap. I. & Epistolarum Catholicarum, supra Lit. A.

CAPUT XXIII.

DE

Epistola priore S. Petri.

BREVIARIUM.

Author Epistolæ S. Petrus est. I. Scripta est ad

Q 9 5

ele-

Epistola
I. S. Pe-
tri.

electos inquilinos dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, utpote quibus ante viva voce Evangelium prædicavit. 2. Occasio Epistole. 3. Argumentum, gratiarum actio pro gratia & spe illis donata, nec non adhortationes variæ. 4. Scripta est idiomate non Hebraico, sed Græco. 5. An Babylone scripta sit: & Babylon illa, an Roma, vel Ægyptiaca: Babylon fuerit? 6. De tempore scriptionis sententia Baronii. Anno Christi 52. Antiochiæ scriptam, & Sylvano traditam videri. 7. Partes Epistole duæ sunt. I. Gratiarum actio pro gratia & spe fidelibus dispersis in tentationibus donata. (cap. I. 1--13.) II. Adhortationes variæ tum ad fideles omnes, tum ad varios ordines hominum. (cap. I. 13--f.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistole. 8.

Author. I.

Author Epistolæ est πῆτρος Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ Petrus Apostolus Jesu Christi, cap. I. 1. Eum ita Hieronymus de *Viris Illustr.* describit: Petrus filius Iohannis, frater Andreæ Apostoli, ortus in vico Bethsaida provincia Galilææ, quæ est juxta stagnum Gennezareth, qui primo vocatus est Bar-Jona. Simon Bar-Jona, filius columbæ primum dictus, post confessionem forti animo editam Petri, seu Κεφα, ob constantiam & fortitudinem nomen iteratò adeptus est. Erat nempe πῆτρος lapis vivus in lapide vivo, seu petra Christo ædificatus, & ab eo vivificatus. Christus enim πῆτρος petra est, 1. Cor. X. 4. lapis fundatus, angulus pretiosus fundati fundatissimi. Esaj. XXVIII. 16. Apostolus fuit Jesu Christi, petræ, fundamenti, rupis illius, quam confessus est.

Inscri-
ptio.

II. Scripta est à S. Petro Epistola ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας & Βιθυνίας, electis inquilinis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, cap. I. v. 1. Inquilinis igitur, hoc est, non habitantibus in patria, seu

feu medio populi Judaici, sed apud alios populos *Epistola* & civitates, apud quas *πολίτευμα* non habent, *I. S. Pe-* adeoque non Christi demum tempore, uti Baro- *tri.* nius *ad An. 45. n. 21.* pertendit; sed ante ejus adventum, dispersis passim Judæis inscribitur. Sicut S. Jacobus Epistolam suam disertè XII. tribubus dispersis destinavit: sic S. Petrus iisdem tribubus dispersis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, (cujus metropolis erat Babylon, unde Epistola scripta est,) & Bithynia, quibus scilicet viva voce Evangelium prædicavit, utpote *ὑπομιμνήσκων*, *recordans*, & ad animum iis vivum præconium revocans, 2. Pet. I. 12. Epistolam suam consecrat. Erat enim uterque, ut & S. Johannes, minister non præputii, sed circumcisionis, Gal. II. 9.

III. S. Augustinus *lib. de fide & oper. cap. 14.* *Occasio* sicut Johanni, Jacobo & Judæ, ita Petro etiam scribendi occasionem datam existimat ab erronea eorum opinione, qui fidem sine operibus ad salutem sufficere prædicârunt. Cæterùm ex ipso Epistolæ argumento, & statu Ecclesiæ illorum temporum, nec non ex fine, ob quem S. Paulus Hierosolymam ad Petrum & Jacobum ascendit, Gal. I. 18. 19. II. 2. liquere videtur, fuisse, qui de consensu Petri, Pauli & Silæ, seu Sylvani addubitarent. Suum igitur in doctrina fidei consensum testificandum, Hebræosque in recepta fide confirmandos, vitæque sanctitate imbuendos duxit.

IV. Argumentum Epistolæ indicatur cap. I. 13. *Argu-* *Τελείως ἐλπίζατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν ἐν ἀπο-* *καλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ. Perfectè sperate in eam, quatum-* *vobis oblata est, gratiam, in revelatione Jesu Christi.* Clariùs etiam cap. V. 12. *Per Sylvanum breviter* *vobis scripsi, παρακαλῶν καὶ ἐπιμαρτυροῦν ταύτην εἶναι* *ἀληθῆ χάριν τοῦ Θεοῦ, εἰς ἣν ἐσῆκατε; rogans & testifi-* *cans, hanc veram esse gratiam Dei, in qua statis.* Partim igitur docet, doctrinam Evangelicam de gratia Dei per Christum, quam amplexi erant, & in cujus fide ac professione stabant, veram & infallibilem esse: partim hortatur graviter, ut vitam professione illa dignam traducant, ostendens scilicet, *veri-*

Epistola I. S. Petri. veritatem Evangelii esse secundum pietatem; atque adeò fidem veritatis esse sicut primam in conversione apud Deum, ita frugiferam ad præstandum omnem fructum conversionis ad Deum.

Idioma. V. Scriptam esse Epistolam idioma Hebræo, & in Græcum sermonem à Marco translata, ex Hieronymi *Epist. 150. ad Hedib.* nonnulli perperam colligunt. Dicit quidem Hieronymus, *duas Epistolas, quæ dicuntur Petri, stylo & caractere discrepare, structuræque verborum.* Sed per *characterem* non linguam, quâ utraque scripta est, sed dicendi genus, & sermonis proprietatem designat.

Locus scriptio- nis. VI. Babylone scriptam esse Epistolam, colligi solet ex verbis cap. V. 13. *Salutat vos electa in Babylone.* Ad quem locum sic Oecumenius: *Βαβυλῶνα τὴν Ῥώμην καλεῖ. Babylonem Romam vocat.* Nonnulli etiam Codices subscribunt: *Ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης. Scripta est Romæ.* Quam explicationem Pontificii arripiunt, probaturi scilicet, Petrum Romæ fuisse. Rectius tamen, si vera illa esset, inde collecturi, Romam æstimari debere Babylonem mysticam, non tantum ratione illius temporis, quo Epistola hæc scripta est, sed etiam secuturi. Nempe quod Regnum illius civitatis nunquam non sit Babylonicum. Cæterum causam non dicunt illi, quin Babylon hic notet electos & fideles, qui erant Babylone, non Chaldaica illa vetere, utpote tum non extante amplius, sed Seleuciensi, uti Celeber. Bochartus *Geogr. S. libr. I. cap. 8.* demonstrat; ubi multi tum erant Judæi, Synagogæ quippe, Aechmalorarcham suum habentes. Quorsum enim in plana hac Epistola ea nominis permutatio adhibeatur? Et fuisse Petrum in Asia, dubitari nequit. Alia verò est Apocalypseo ratio, utpote quæ mysticis locutionibus, uti in Prophetiis fieri solet, abundat. Neque etiam probabilitatem habet sententia Cornelii Bertrami, *Lucubr. Francoth. cap. 9.* afferentis, Babylonem intelligi non Asiaticam, sed Ægyptiam, castellum scilicet & urbem munitissimam in Ægypto, cujus Ptolomæus *lib. IV. §.* & Strabo *lib. XVII.* meminerunt. Tempore

post enim Petri Ægyptia illa Babylon, obscurum ^{Epistola} castellum, vix de nomine innotuit. Sed quicquid ^{I. S. Pe-} de Babylone sit, Ecclesiæ quidem in ea collectæ ^{tri.} nomine S. Petrus Ponticos salutat. *Non tamen continuò necessarium, (ita Greg. Cortesius Card. adv. Pers. ipse judicat,) eum Babylonia scripsisse. Quemadmodum non in omnibus Ecclesiis Paulus scribebat, cum Romanis omnium Ecclesiarum salutem mittebat, Rom. XVI. 21. & quando Corinthiis earum, que in Asia, I. Cor. XVI. 19. non simul Epistolam exarabat in omnibus. Et Antiochiæ potius, quàm Babylone scriptam esse, sequentia arguent.*

VII. De tempore etiam scriptionis nihil certi ^{Tempus} pronuntiare possumus. Si Baronio credimus, A. C. 45. scripta fuerit, adeoque omnium N. T. scripturarum prima extiterit. Id quidem ex cap. IV. 16. ubi *Χριστιανῶν* Christiani nomenclatura extat, liquet, scriptam esse post tempus illud, quo Antiochiæ discipuli Christi *Χριστιανῶν* Christiani dici cœperunt. Quod Baronius ad A. C. 43. refert. Ex Act. XV. 36. constat, Paulum & Barnabam Antiochiæ cum multis aliis docuisse, & Evangelium prædicasse. Eodem, præsentibus iis, venisse Petrum, ex Gal. II. 11. 13. liquet. Antiochiâ Paulus cum Sila, relicto Barnaba & Marco, ad Ecclesias Asiaticas profectus est, Act. XV. 39. Contigit id anno circiter 52. Atque eodem tempore Petrum Epistolam hanc scripsisse, & Sylvano, dispersis passim Judæis exhibendam credidisse, verisimile est.

VIII. Tametsi verò accurata Epistolæ hujus ^{Partes.} œconomia aut partitio institui nequit, cum textus ipse doceat, unum ex alio sequi, multaque quasi ex occasione dici, & præceptorum ejusmodi *συμπλοκῆν* ad regulas methodi difficulter redigi: proclive tamen erit, in scriptione & Epilogo demptis, duas Epistolæ partes constituere. *Primo* enim Apostolus gratias Deo agit pro donata Judæis fidelibus gratiâ & spe in tentationibus, cap. I. 1--13. *Secundo* adhortationes instituit varias, tum ad fideles omnes, tum ad certos fidelium ordines, cap. I. 13--f.

Epistola I. Gratiarum actio pro gratia & spe in tentationibus fidelibus dispersis donata, Cap. I: 1--13.

I. S. Petri.

I.
Gratiarum actio.
Cap. I.

Inscriptione & voto præviis, (2.) Deo gratias agit, quod fideles regeneravit ad spem vivam per resurrectionem Christi, ad hæreditatem incorruptibilem, servatam id Cœlis iis, qui potentiâ Dei per fidem custodiuntur ad salutem, (5.) quôdque contristati licet variis tentationibus, quibus fides illorum explorata reddatur, exultent tamen, (7.) & quidem in amore Christi, ac fide in ipsum, cujus finis salus est, (9.) promissa & prædicta per Prophetas, gnaros, quod non sibi, sed nobis ministrent, scrutantes tempus passionum & gloriæ Christi. (12.)
cap. I: 1--13.

II. Adhortationes variæ, tum ad fideles omnes, tum ad varios ordines hominum. Cap. I. 13-f. Ubi sunt
Adhortationes variæ,

I. Adhortationes generales. cap. I: 13--2: 11. Hortatur nempe,

a. Ut ad omnem gratiam, quæ offertur in revelatione Jesu Christi, se præparent, (13.) deponendo concupiscentias, (14.) sanctitatem Dei vocantis imitando, (16.) Deum Patrem, ut judicem metuendo, idque propter magnitudinem pretii pro illis expensi, (21.) animas in obedientia veritatis purificando per Spiritum ad amorem fratrum, cum regeniti sint ex femine incorruptibili, sermone vivo Dei, & manente in seculum. (23.) *cap. I: 13--f.*

b. Ut depositâ omni malitiâ, tanquam recens nati pueri, rationale sincerum lac appetant, & in eo crescant, (2.) siquidem bonus est Dominus, ad quem lapidem vivum accedentes, ut lapides vivi, domus spiritualis ædificentur, (6.) ubi honorem fidelium, generis electi, regii sacerdotii, nunc populi Dei, & offensionem infidelium ad lapidem angularem, ex oraculo Esajæ deducit. (10.) *cap. 2: 1--11.*

2. Adhortationes speciales, ad honestam conversationem inter gentes. *cap. 2: 11--f.* Vide

a. Adhortationem ipsam. *v. 11. 12.*

b. Specialia mandata honestè conversandi inter gentes, data

a. *Subditis*, ut subjiciantur omni humanæ ordinationi, ut liberi quidem, at ut servi Dei; (17.) *servis*, ut heris etiam obliquis subjiciantur, quia gratia est, si quis injustè patiat, (20.) cum etiam Christus pro illis passus sit, relinquens exemplum, iustus, non opponens se, peccata nostra ferens supra lignum. (25.) *cap. 2: 11--f.*

b. *Uxoribus*, ut subjiciantur viris, quò conversatione eorum lucrifiant; ornatu iisdem genuino præscripto; (8.) *viris*, ut prudenter uxoribus cohabitent; (9.) *omnibus*, ut idem sentiant, non retaliant malum pro malo, sed benedicant omnibus, compescant linguam, declinent à malo, faciant bona

numa

num, (13.) patiantur lubentes propter justitiam, *Epistola*
ne timeant persequentes, rationem fidei prompte *I. S. Pe-*
reddant, conscientiae bonae studeant, (16.) bonum tri-
facientes patiantur libenter, exemplo Christi &
Noë, Spiritu Christi immorigeris prædicantis, (20.)
salvante sicut tunc arca, ita nunc baptismo per
resurrectionem Christi, ad dextram Dei profecti,
(22.) cap. 3.

2. *Omnibus* mandat, ut Christo pro peccatis passio
desinant, à peccatis, cum satis antehac lascivive-
rint, (4) rationem reddituri judici vivorum &
mortuorum, etiam eorum, qui in diluvio perie-
runt; (7.) ut studeant modestiæ, charitati inten-
sæ, hospitalitati, donorum usui recto, (11.) con-
solatus eosdem in afflictionibus à spe gloriæ, (16.)
& quia tempus est, ut iudicium à domo Dei inci-
piat. (19.) cap. 4.

3. *Senioribus*, ut pascant gregem Dei, non ut exer-
centes dominatum; (4.) *junioribus*, ut senioribus
se subiciant cum humilitate; (5.) *omnibus*, ut se
humilient sub valida manu Dei, (6.) curam in
Deum rejiciant, (7.) sobri sint, vigilent contra
Diabolum; (9.) voto interim, causâ scriptio-
nis indicatâ, salutationibus renunciatis Eistolam
claudens. (14.) cap. 5.

TABULA SYNOPTICA EPISTO- LÆ I. S. PETRI.

Partes.

I. Gratiarum actio pro gratiâ & spe in tentatio-
nibus donata, cap. I: 1--13.

II. Adhortationes variæ, cap. I: 13--f.

1. *Generales*, c. 1: 13--2: 11.

a. *Ut se ad gratiam præparent, sanctitatem Dei*
imitentur, &c. c. 1: 13--f.

b. *Ut sincerum lac appetant, & in eo crescant,*
ceu lapides vivi in domo Dei, c. 2: 1--11.

2. *Speciales*, ut honestè converterentur inter gentes,
c. 2: 11--f. ubi sunt

a. *Adhortatio*, c. 2: 11. 12.

b. *Mandata specialia*, data

a. *Subditis, servis*, c. 2: 13--f.

f. *Uxoribus, viris, omnibus*, c. 3.

g. *Omnibus*, ut à peccatis desinant, sobrii,
modesti sint, &c. c. 4.

3. *Senioribus, junioribus, omnibus*, c. 5.

Inter-

Epistola
II. S.
Petri.

Interpretes prioris Epistola S. Petri.

S. PATRES. Clemens Alexandrinus.
 REFORMATI. Amelius, Bibliander, Laurentius, Schotanus,
 (Christ.) Hesselius, Breitingerus, Antonides. *Angli.*
 Alley, Byfield, Nesbitius, Rogerus, Adamus, Thom.
 Smith. in II. Dixon, Sympson.
 AUGUSTANI. Gerhardus, Hegendorffius, Lutherus, Ma-
 jor, Selneccerus, Wellerus, Winkelmannus, Veselius.
 PONTIFICII. Fevardentius, Falengius, Johannes à Lo-
 vanio.
 Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & Episto-
 larum Catholicarum omnium cap. XXII. Lit. A.

CAPUT XXIV.

DE

Epistola posteriore S. Petri.

BREVIARIUM.

Epistola author est S. Petrus Apostolus. Erasmi &
Grotii de eo error notatus. 1. Auctoritas ejus
asserta. Causa, ob quam non statim ab omnibus
agnita est. Syriaca ejus versio quando ador-
nata sit? 2. Judeis dispersis inscripta est. 3.
Scopus & argumentum Epistole. Cygnea
S. Petri cantio est. 4. De tempore scriptio-
Grotii opinio refellitur. Scriptam videri
A. C. 66. vel 67. paulò ante mortem S. Petri. 5.
Partes duæ sunt. I. Exhortatio ad constan-
tiam & profectum in fide ac studio pieta-
tis. (cap. 1.) II. Prophetia de falsis doctori-
bus, impiis & irrisoribus adventus Domini.
Interpretes Veteres, Reformati, Augustani,
Pontificii, & Tabula Synoptica Epistole. 6.

Scriptor I. **E**odem, quo superior, Authore, S. Petro
 scilicet, Apostolo Christi, consignatam
 hanc quoque Epistolam esse, ex cap. I. 2.
 II. 16. 18. III. 1. 2. 15. abundè liquet. Et Petri no-
 minae

mine in Canone jam olim à Concilio Laodiceno can. 59. Athanasio in Synopsi, Hieronymo ad Paul. Augustino, aliisque veteribus numerata est. Frustraque repugnat Erasmus, diversitatem styli caussatus. Quam, qualiscunque illa est, materiae & argumenti, non authoris diversitati acceptam ferre debuit. Grotium quoque Epistolam hanc non S. Petro Apostolo, sed Simone, Jacobi in Episcopatu Hierosolymitano successore, editam, pertendentem, Hammondus, aliique ex professo refutant.

*Epistola
II. S. Pe-
tri.*

II. De Epistola hac sic scribit Eusebius *Histor. Autho-
Eccles. lib. III. 3.* Τὴν φερομένην (Πέτρος) δευτέραν ἐκ
ἐνδιάδηκον μὲν εἶναι, παρελήφραμεν. Ὅμως δὲ πολλοῖς
χρησίμῳ φανεῖσα μετὰ τῶν ἄλλων ἐκπρωτόκλητη γραφῶν,
Eam, (Petri) quæ posterior dicitur, non esse legitimam,
seu Testamentariam, accepimus. Et tamen quia multis
videtur utilis, cum aliis scripturis usurpata est. Et cap.
22. eandem inter ἀντιλεγόμενας ὑπό τιναν, eas,
quibus à quibusdam contradicitur, refert. In Syriaca
quoque versione antiquissima non habetur. Ea
enim, quam ex Bibliotheca Bodlejana Celeb.
Pocoke edidit, non à primis illis Interpretibus, sed
paulò seriùs à Thoma Episcopo Heracleensi edita
est. Dionysio, qui Syris Commentariis eam illu-
stravit, apud eundem teste. Quòd verò tam citò
admissa non est, causa fortè est, quòd ad certum
hominem, vel certam Ecclesiam, aut, ut prior, ad
multas Ecclesias nominatim missa non est, sed ita
scripta est, ut Evangelia pleraque, quæ semel lecta
uni Ecclesiæ, paulatim descripta, pluribusque com-
municata sunt. Ita ut omnibus, ad quos ejusmodi
scripta pervenère, judicandum fuerit, essentne
genuina, necne. Recepta igitur & hæc Epistola
paulatim est in canonem, sed non sine scrutatione,
quòd nihil officit ejus authoritati. Canonicam
autem esse, id argumento est, quòd libris Prophe-
ticis & Apostolicis est analogà: quòd in eo Pro-
phetia est, aliis Prophetiis, imprimis Judæ conve-
niens: quòd à Petro Apostolo scripta est, nec ulla
sufficiens dubitandi ratio reddi potest. Unde Ori-
genes,

Epistola II. S. Petri. genes, Hieronymus, aliique ea & sequente ætate consentientes, eam inter Canonicos libros sine hæsitatione ulla numerârunt.

Inscriptio. III. Iisdem, quibus prior Epistola inscripta est, hanc quoque posteriorem destinatum esse, arguunt verba cap. III. 1. *Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοί, δευτέρως ὑμῖν γράφω ἐπιστολήν. Hanc, dilecti, secundam vobis scribo Epistolam.* Ad Judæos etiam conversos scriptam esse, docent verba ejusdem cap. I. 19. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum.* Propheticus enim sermo ad Judæos, non gentiles, commevit. Illi, non hi, Mosen & Prophetas habuerunt, Luc. XVI. 21. Rom. IX. 4. Neque tamen minùs conversi gentiles, adeoque Christiani omnes Epistolam hanc suam facere possunt.

Argumentum. IV. Propositum Apostoli fuit instante morte, seu depositione tabernaculi sui, *ὑπομνήσκει* *commonefacere*, & *διεγείρει* *in ὑπομνήσει excitare in commonefactione*, ut videlicet stabiliantur *ἐν παρῶν ἀληθείᾳ* *in presenti veritate*, cap. I. 12. 13. 14. Sic igitur veritatis illius præsentis, seu Evangelii plenitudinem & perfectionem adstruens, ad omnem virtutem Christianam hortatur, in fide vera confirmatum ex voce Divina cœlitus audita, tum ex sermone Prophetico, vitarique communionem eorum, qui errantes, seducentes, impii à veritate abstrahere alios conantur, jubens, grave iisdem iudicium intentat, & contra irrisores, adventum iudicis explodentes, appropinquans iudicium demonstrat. Cygnea certè hæc Apostoli cantio est, ardorem Spiritus, Christi amorem, pietatis zelum, martyrium & cœlestia suavissimè spirans.

Tempus. V. Scriptam esse Epistolam hanc post everfam Hierosolymam, adeoque non à Petro Apostolo, utpote non superstite amplius, temerè asserit Grotius, eo scilicet argumento fretus, quia loquatur de adventu Domini, quem nemo, stante adhuc Hierosolyma, venturum putaverit. Atqui etiam Paulus 2. Thessal. II. loquitur de adventu Domini. Sed ita, ut ostendat, priùs Antichristum venturum. Ita etiam Petrus cap. III. 10. loquitur de adven-

adventu Domini, quòd ejus Dies venturus sit, ut *Epistola*
 fur in nocte. At plura non antecessura, inprimis *II. S. Pe-*
 judicium Dei adversus Hierosolymam, revelatio *tri.*
 nem Antichristi, &c. quàmvis apertè non asserit,
 non etiam negat tamen. Accedit, quòd Epistolam
 à Petro Apostolo scriptam supra confirmavimus.
 Is autem ante excidium Hierosolymæ, anno scili-
 cet 67. Christi, martyrium subiit. Cùmque Epi-
 stolam hanc paulò ante mortem, depositurus mox
 corporis sui tabernaculum, cap. I. 14. scripserit,
 anno circiter 66. vel 67. Christi scriptam, proba-
 biliter statuimus.

VI. Partes Epistolæ duæ sunt. *Primò enim ad* *Partes.*
 constantiam & profectum in fide ac studio pietatis
 exhortatur, cap. I. *Secundò* Prophetiam de falsis
 doctoribus & irrisoribus adventus Domini,
 eorùmque judicio edit, cap. II. III.

I. *Exhortatio ad constantiam & profectum in fide ac* I.
studio pietatis, cap. I.

Inscriptione & voto, ut gratia & pax in cognitione Chri- *Horta-*
 sti abundet, quia Divina potentia ejus largita nobis est *tio ad*
 omnia, quæ ad vitam & pietatem pertinent, præviis, *constant-*
 (4.) adhortatur ad suppeditandos cum omni studio *tiam.*
 fructus fidei, (7.) quia sine iis infrugifera est cognitio *Cap. I.*
 Christi, & cæci sumus; per eos verò firma redditur
 electio, & certa spes introitus in Regnum, (11.) osten-
 dens, non parum studii se conferre ad veritatem inte-
 gram perpetuò conservandam, (15.) qua voce Divini-
 tus de Christo audita, (18.) & sermone Prophetico fir-
 missimo, & ad illuminanda corda potenti, (19.) eoque
 non propriæ interpretationis, sed à Spiritu S. instincto,
 (21) in munere suo confirmandus sit. *cap. 1.*

II. *Prophetia de falsis doctoribus, impiis & irrisoribus,* II.
adventus Domini, eorùmque judicio. Cap. II. III. *Proph-*
Vide *cia.*

1. *Prophetiam de falsis Doctoribus, & impiis. Exituros* 1.
 nempe tum falsos doctores, Dominum abnegantes,
 multos seducentes, & Ecclesiam per avaritiam quæstui
 habentes, (3.) quibus judicium denunciat, exemplo
 Angelorum, primi mundi, Sodomæ & Gomorrhæ, (8.)
 promissæ liberatione piis; (9) tum injustos, veluti
 contemptores dominationis, Bileamo similes, (16.)
 aliòsque qui ab erroribus prætumida vanitatis loquun-
 tur, & ab inquinamenta mundi redeunt. (12.) *cap. 2.*
2. *Prophetiam de irrisoribus adventus Domini. Attentione* 2.
 concilia, (2.) exituros monet & irrisores adven-
 sus Domini, (4.) quos refutat, argumento judicii in di-

Epistola
I. S. Jo-
hannis.

Iuvio exerciti, (6.) ostendens, Cœlum & terram igni fervari, (7.) rationem prolongati temporis à longanimitate Dei petens, (10.) & sanctam conversationem ac pietatem ad accelerandum adventum commendans, cum Cœlum & terra nova expectetur, (15.) juxta doctrinam similem S. Pauli, cujus *ἀποκάλυψις* à nonnullis detorqueri queritur, (16.) monens, ut deceptionem caveant, & in gratia ac cognitione Christi augetur, (18.) cap. 3.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ II. S. PETRI.

Partes.

- I. Exhortatio ad constantiam & profectum in fide ac studio pietatis, cap. I.
- II. Prophetia de falsis doctoribus, & irrisoribus, cap. II. III. ubi
 1. *Prophetia de falsis doctoribus & impiis, c. 2.*
 2. *De irrisoribus adventus Domini, cap. 3.*

Interpretes Epistolæ II. S. Petri.

S. PATRES. Seorsim nulli.

REFORMATI. Amelius, Bibliander, Bretingerus, Laurentius, Schotanus, (Meinh.) Angli, Adam, Dixon, Hall, Medus, Pocoke.

AUGUSTANI. Gerhardus, Hegendorfius, Lutherus, Major, Selneckerus, Wellerus, Winkelmannus.

PONTIFICII. Fevardentius, Falengius, Sasbout, Lorinius. Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & Epistolarum Catholicarum omnium Cap. XXII. Lit. A.

CAPUT XXV.

DE

Epistola prima S. Jo- hannis.

BREVIARIUM.

Author Epistolæ est S. Johannes, Apostolus Christi Nomen suum quam ob causam non præscripserit: Baronii de amissa præfatione Epistolæ assertio temeraria. I. Destinata est non personæ singulari, sed Judæis fidelibus, vel potius Eccle-

sie

sive ex Judæis & gentibus fidelibus constat. *Epistola*
 Locus cap. II. 1. 2. exponitur. 2. Baronii & *I. S. Jo-*
 Grotii assertio, quod Parthis inscripta olim *hannis.*
 fuerit, perstringitur. 3. Occasio Epistolæ. 4.
 Argumentum ejusdem. Doctrinæ Christianæ
 compendium est, præcedentibus scripturis atte-
 stans. 5. Serò admodum, post plerosque N. T.
 libros scriptam videri. 6. Partes Epistolæ due
 sunt. I. De fide in Christum, eique opposito
 Antichristo. II. De vera pietate & charitate,
 eique opposito amore mundi. Quæ sparsim 5.
 Capitibus tractantur. Interpretes Veteres,
 Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula
 Synoptica Epistolæ. 7.

I. Scripta Epistola hæc est authore Evangelista *Scriptor*
 & Apostolo Christi S. Johanne, uti & in-
 scriptio, quæ sic habet: *Ἰωάννης τῆ Ἀποστόλου*
ἐπιστολὴ καθολικὴ πρώτη. *Johannis Apostoli Epistola*
Catholica prima; docet: & constanter veteres tra-
 didere: & styli ac materiæ summa cum reliquis
 Johannis scriptis convenientia arguit. De eo plu-
 scula cap. V. ss. 1. 2. diximus. Nomen porro suum
 omisit more sibi solenni. Nam nec Evangelio
 nomen suum præfixit, & de se vix uspiam nisi per
 circumlocutionem loquitur. Meritoque Baronio
 ad A. Chr. 99. afferenti, quod inscriptio Epistolæ
 initio apposita, injuriâ temporis perierit, audaciæ
 notam Cl. Gomarus pag. 719. inurit.

II. Epistola hæc cum ex numero *Catholicarum* Inscri-
 ptis, non inscripta est personæ uni, vel Ecclesiæ pro-
 cuiusdam singulari. Scripta verò nonnullis censetur
 ad Judæos fideles, qui compelli iis videntur cap.
 II. 1. 2. his verbis: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ne pec-*
cetis. Et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud
Patrem, Jesum Christum justum. Et ipse propitiatio est
pro peccatis nostris, & περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ
καὶ περὶ ὅλων τῶ κόσμου, non pro nostris verò duntaxat,
sed etiam pro (peccatis) totius mundi. Ubi *τεκνία*
filioli, & ἡμετέροι nostri indigetari à Johanne, qui

Epistola I. S. Jo-
hannis. Judæus fuit, Judæi fideles, & à toto mundo, hoc est, fidelibus electis ex gentibus distingui, iis videntur.

Dici tamen possit, non Judæos iis verbis à gentibus distingui, sed per *ἡμετέρας* nostros electos ex Judæis & gentibus in toto mundo dispersis constantes: per *ὅλον κόσμον* totum mundum verò electos adhuc infideles in toto mundo dispersos, per Christum redemptos, & ad fidem vocandos; vel fideles omnium temporum, inde ab initio ad finem usque mundi, intelligi. Quo sensu Epistola inscripta censi deberet toti Ecclesiæ ex Judæis & gentibus constanti, ubicunque illa tempore S. Johannis gentium subsisteret. Doctrina enim & circumstantiæ Epistolæ communiter ad omnes omnium nationum & conditionum fideles pertinent. Accedit, quòd scriptum hoc, licet Epistola insigniatur, censi tamen possit brevis quædam Christianæ doctrinæ epitome, & Evangelii à Johanne scripti succinctum quoddam enchiridion, cui adhortationes quædam pro communi totius Ecclesiæ conditione adjectæ sunt. Non enim, ut reliquæ Epistolæ, inscriptione ac salutatione inchoatur, neque etiam salutatione & voto clauditur.

Parthis an in-
scripta? III. Fallitur igitur etiam Baronius, qui ad A. C. 99. Parthis inscriptam Epistolam hanc pertendit, fretus scilicet testimoniis Hygini *Epist. I.* & Augustini in *Quest. Novi Test. q. 39.* Cui etiam Grotius assentitur, per Parthos intelligens Judæos ad Christum conversos, qui non sub Romanorum, sed sub Parthorum imperio vivebant in locis trans Euphratem, ubi ingens multitudo Judæorum fuerit, veluti Neardæ, Nisibi, &c. Quæ prorsus inania sunt, neque vel Hygini vel Augustini auctoritate comprobantur. Scripta enim, quæ Baronius obtendit, sunt Pseudepigrapha & adulterina. Epistolæ certè illæ Romanorum Pontificum, inter quas est illa Hygino adscripta, quæque in Conciliorum tomis recensentur, styli & materiæ absurditate multum à scriptoribus ævi illius abludunt. Quæstiones quoque N. Test. S. Augustini nomine venditatæ, Erasmo, imò & Bellarmino ipso *Tom.*

III. *de gratia i. bom. cap. i. judice, ne Catholici* ^{Epistola}
 quidem scriptoris, nedum S. Augustini sunt. ^{l. S. Jo-}
 Parthis an prædicaverit S. Johannes Evangelium, ^{hannis.}
 incertum est. Cum veteres Thomam Parthorum
 Apostolum faciant. Si tamen illis prædicavit, cur
 ad eos potius quàm ad Ephesios, apud quos diu
 vixit & sepultus est, Epistolam destinaverit, ratio
 reddi nequit.

IV. Occasionem scribendi Johanni præbuisse ^{Occasio}
 videntur hæretici, persecutores, hypocritæ. *Hære-*
tici, Antichristi, Pseudopropbeta, cap. II. 18. 19. 22. 26.

IV. I. *Persecutores*, cap. III. 1. 13. attinguntur.
Hypocrita quoque in Ecclesiæ vilceribus, inani
 professione fidei freti, *ἠναμαρτυροῦν* jactabant,
 communionem cum Christo sibi, veræ fidei &
 charitatis exsortes licet, promittebant.

V. Sic igitur S. Johannes, claturus scilicet Epi- ^{Argu-}
 stolis hæc & Apocalypsi sua, Scripturæ canonem, ^{men-}
 proponit repetitque salutarem doctrinam de Deo, ^{tum.}
 de persona, naturis, officio & beneficiis Christi;
 nostrum etiam erga Deum, Christum, proximum
 officium explicat, & notas eximias verorum Dei
 filiorum exponit; simulque præcedentibus scri-
 pturis, tanquam perfectam veritatem & sapien-
 tiam continentibus, attestatus, eas in summam
 veluti colligit, & ea ratione adversus deceptionem,
 Antichristi inprimis, munit.

VI. Tempus scriptionis non admodum liquet. ^{Tempus}
 Probabile tamen est, scriptam esse serò post reli-
 quas scripturas N. Test. & ante II. ac III. Episto-
 lam & Apocalypsin. Arguere id videntur ejus
 verba cap. II. 18. *Τελευταία, ἡ ἡμέρα ἔστι.* Pueruli,
ultima hora est; & sicut audivistis, quod Antichristus
venit, & nunc Antichristi multi extiterunt. Ultimis
 igitur prædicationis Apostolicæ annis, & suppu-
 lulascentibus post prædicatam veritatem hæreticis,
 Antichristis veritatem corrumpentibus, Johannes
 scripsit.

VII. Partibus Epistola hæc duabus absolvitur; ^{Partes.}
unâ de fide in Christum, cui doctrina Antichristi
 opponitur; *alterâ* de vera pietate, & notis filiorum
 Dei,

Epistola
I. S. Jo-
hannis.

Dei, nominatim autem de charitate erga proximum, quæ à dilectione mundi & odio proximi, tanquam contrariis illustratur. Quæ duæ partes maximè cohærentes ita promiscuè & alternatim methodóque arbitraria tractantur, ut certis limitibus distingui nequeant. Suffecerit igitur, capitum argumenta tractâsse.

I.
De
Christo,
&c.
Cap. I.

I. *Doctrina de Christo, vera luce, communione cum ea, & remissione peccatorum per eum, Cap. I.*

Summam prædicationis, doctrinam de sermone vitæ, & communione cum ipso, scribi à se, ut gaudium plenum sit, præfatus, (4.) promissionem, quòd Deus lux sit, & tenebræ in ipso nullæ sint, ostendit, (5.) deducitque, communionem cum eo intercedere non posse, nisi ambulatibus in luce, (6.) & sanguinem Jesu Christi, confitentibus peccata sua, remissionis illorum causam esse. (10.) cap. 1.

II.
De propitiatio-
ne, &c.
2.

II. *Doctrina de propitiatione per Christum, notis fidei, obedientia erga Deum, charitate erga fratres; & utrisque opposito Antichristo ac amore mundi. Cap. II.*

Peccantium propitiationem esse Christum, asserens, (2.) cognosci eum, seu credi in eum docet, si præcepta ejus servemus, (5.) hoc est, ambulemus sicut ipse; (6.) quod præceptum ait esse vetus, à principio auditum, (7.) & novum in Christo & nobis, quia lux vera lucet, (8.) diligentibus scilicet fratrem; (11.) Unde compellans filios, quibus remissa sint peccata; patres, qui noverint eum à principio; juvenes, qui vicerint mundum, (14.) negat diligendum esse mundum, utpote vanum & transitorium, (17.) & pueros monet de vitanda seductione Antichristi, qui ultimâ hac horâ multi jam existant, ex illis exeuntes, (19.) & per unctionem omnia illos docentem, ita dignoscendi, quòd negent, Jesum esse Christum, (27.) unde ad manendum in ipso hortatur, ne in adventu ejus pudeant; (28.) utque justitiæ studeant. (29.) cap. 2.

III.
Privilegia fide-
lium,
&c.
3.

III. *Privilegia per Christum parta, & officia filiorum Dei, fides & charitas. Cap. III.*

A charitate Dei fluere ostendit, quòd sumus filii Dei, similes futuri Christo, cum revelabitur, (2.) quam spem habentem ait se ipsum sanctificare, quia revelatus is est ad abolitionem peccati, (6.) & ipse justus est, peccatum verò ex Diabolo, (8.) & omnis ex Deo genitus peccatum non facit, (9.) & per justitiam ac amorem proximi filius Dei à filio Diaboli dignoscitur, (11.) quod exemplo Caini illustrat, (13.) & ex amore fratrum scimus, nos transivisse ex morte ad vitam, (15.) & in eo amorem novimus Christi, qui pro nobis vitam tradidit, (18.) & sic demum tranquillemus corda nostra, si nos

non accusent, (21.) unde fiduciam habituri sumus. quid- *Epistola*
vis petendi, (22.) denique quod sit præceptum Dei, fides *I. S. Jo-*
in Christum & amor mutuus, (23.) quod qui custodiens *hannis.*
illa in ipso maneat, (24.) definit. *cap. 3.*

IV. De probatione spirituum & dilectione Dei ac *IV.*
proximi. Cap. IV. Probatio spiri-

Probati spiritus; quia Pseudoprophetæ multi in mundum
exiverunt, jubens, (1.) probationis regulam figit, con-
fessionem scilicet Christi in carnem venientis, (3.) &
auditum verbi Divini. (6.) Tum charitatem commen-
dat, quia non amans Deum non cognoscit, quod probat
inde, tum quia Deus sit charitas, manifestata in missione
filii; (11.) tum quia Deus à nemine videatur, in nobis
autem maneat per charitatem, (16.) quam consum-
mari docet penes nos, ut in die judicii habeamus fidu-
ciam, sine timore ullo, (18.) tum quia nos ipsum dili-
gimus, quia ipse nos dilexit prior, (19.) tum denique
quia impossibile sit Deum amare, non amato fratre.
(21.) *cap. 4.*

Probatio spiri-
tuum,
&c.
Cap. 4.

V. De usu fidei in Christum, & vitanda idololatria. *V.*
Cap. V. De usu

Credentem in Jesum Christum docet ex Deo genitum
esse, & amare genitum ex Deo, Deique præcepta, cum
gravia non sint, observare, (3.) genitum autem ex Deo
& credentem vincere mundum, tum quia victoria mun-
di sit fides in Christum, qui venit per aquam & san-
guinem, (6.) tum quia id ipsum testantur tres testes in
Cælo & in terra; (13.) tum quia credens hanc fiduciam
habet, quod impetraturus sit, quicquid petierit, (15.)
etiam pro peccatore, sed non ad mortem. (18.) Deni-
que cavenda esse idola monet, quia ex Deo sumus, &
filius Dei eam mentem nobis dedit, ut verum Deum
cognoscamus. (21.) *cap. 5.*

De usu
fidei,
&c.
5.

TABULA SYNOPTICA EPISTO-
LÆ I. S. JOHANNIS.

Partes.

I. De fide in Christum, eique opposito Anti-
christo.

II. De vera pietate & charitate. Tractantur hæ
partes sparsim capp. V.

1. De Christo, vera luce, communionem cum illo, c. 1.
2. De propitiatione per Christum, notis fidei, obe-
dientia & charitate, Antichristo & amore mundi,
c. 2.
3. De privilegiis per Christum partis, officio fide-
lium, c. 3.

Epistola
II. S. Jo-
hannis.

4. *De probatione spirituum, dilectione Dei & proximi, c. 4.*

5. *De usu fidei in Christum, & Idololatria vitanda, c. 5.*

Interpretes Epistolæ primæ S. Johannis.

S. PATRES. Augustinus, Clemens Alexandrinus.

REFORMATI. Danæus, Grynæus, Oecolampadius, vane Staveren, Zanchius, Zwinglius, Mezhezatus, Burckhardus Angli, Cotton, Dixon, Tindallus, Anonymus, 1538.

AUGUSTANI. Althamerus, Beurlius, Ekhardus, Hunnius, Lybius, Selneckerus, Dorschæus.

PONTIFICII. Delphinus, Falengius, Joh. à Lovanio, Lorinius.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. I. & Epistolarum Catholicarum omnium cap. XXII. Lit. A.

CAPUT XXVI.

DE

Epistola II. S. Johannis.

BREVIARIUM.

Epistolæ author est Johannes Apostolus, non alius ab eo Ephesinus Presbyter, uti Grotius fingit, cujus argumenta solvuntur. I. Inscribitur electæ Dominæ, non Ecclesiæ, sed matronæ singulari, ac liberis ejus. 2. Occasio & argumentum Epistolæ. 3. Tempus scriptiõnis. 4. Partes tres sunt. I. Exordium. (v. 1-4.) II. Tractatio, puta gratulatio de veritate agnita, & ad constantiam exhortatio. (v. 4-10.) III. Epilogus. (v. 12. 13.) Interpretes Epistolæ Veteres, Reformati, Augustiani, Pontificii, & Tabula Synoptica. 5.

Author. I. **E**pistolam hanc, & eam, quæ sequitur, non Johanne Apostolo autore, sed nescio quo Johanne Presbytero Ephesino scriptam esse, Eusebii & Hieronymi testimoniis Hugo Grotius comprobare sustinet. Sed utroque antiquior Irenæus illam Johanni Apostolo sine dubitatione assignavit

gnavit lib. I. adv. hæres. cap. 13. *Johannes*, inquit, *Epistola Domini discipulus superextendit dominationem in eos*, II. S. Jo-
neque ave à nobis dici eis volens. Qui enim dicit eis, *hannis.*
Ave, &c. v. 11. Neque causa ulla apparet, cur alii
 illa, quam S. Johanni Apostolo vindicetur, & stylo,
 & verbis, & sententiis ei convenientibus. Quòd
 enim *πρεσβύτερον* *Presbyterum* se vocat, non arguit,
 à Johanne Apostolo non scriptam, uti Grotius
 pertendit. *Seniorem* nempe se vocat, si non ob
 dignitatem Apostolis omnibus convenientem;
 at certè ob ætatem. Senex enim, & fessa jam ætate
 consummatòque munere Apostolico, & tanquam
 parens ad filios, Epistolam scripsit. Solenne
 quoque est S. Johanni, nomen suum circumloqui
 potius, quàm exprimere, sive persecutionum metu,
 sive alias ob causas. Neque etiam obstat, quòd
 non statim Epistolæ hæ in canonem receptæ, vel
 vernaculis etiam versionibus expressæ sunt. Pu-
 blico nempe caractere, & authoris nomine insi-
 gnitæ non sunt. Constat tamen, brevi post in
 canonem adoptatas, & præfixam hanc ab Ecclesia
 inscriptionem: *Ἰωάννης τῆ Ἀποστόλου ἐπιστολή καθολικὴ*
δευτέρα. Johannis Apostoli Epistola Catholica secunda.
 Authoritatem porro Epistolæ hujus & sequentis
 adversus veteres nonnullos, nec non recentiores,
 Cajetanum, Lutherum, Flaccium, Hafenrefferum,
 &c. solidè Cl. Gomarus pag. 741. &c. vindicavit.

II. Inscribitur Epistola *ἐκλεκτῆ κυρία* *electa Do-* Inscri-
mina, & liberis ejus. Ineptè nonnulli, ac inter eos *ptio.*
 Hammondus, per *electam Dominam Ecclesiam*
 Christianam intelligunt; eò quòd & *κυρία* Athe-
 niensibus, & *Cùria* Romanis Ecclesiam significet.
Electæ enim huic *Dominæ* liberos tribuit, in veri-
 tate ambulantes, ad quos se venturum pollicetur,
 salutatis etiam filiis sororis, v. 12. 13. Rectiùs
 intelligitur certa matrona, fidelis atque honesta
 Domina. Potèstque nomen *κυρία* idem esse quod
 Syriacum *מרת* *Marta*, quod *Dominam* notat. Nisi
 forsan ob potentiam, servos, famulitium ipsi sub-
 jectum, vel conjugium cum magnate quopiam
 hoc nomine insignita est. Sed & *ἐκλεκτῆ* *electa* v. 6
 catur

Epistola II. S. Johannis. catur, non tam ratione virtutum eximiarum, quàm *ἐκλογῆς electionis æternæ*. Quomodo etiam Petrus scribit ad *ἐκλεκτῶς electos*.

Occasio III. Occasionem scribendi præbuere electæ hujus Dominæ liberi, quos in veritate ambulare inaudiverat, v. 4. Proin eos in agnita veritate, obedientia præcepto veteri præstanda, adversus seductionem eorum, qui negant, Christum in carne venisse, confirmandos duxit. Quod Epistolæ argumentum est.

Tempus IV. Vergente ætate & præcipite senectâ scriptam esse Epistolam, vix dubitari potest. Non aliam enim potiore ob causam se *πρεσβύτερον Seniore* S. Johannes in inscriptione vocare videtur, quàm quia senex admodum, & impleto ferè Apostolico munere Epistolam scripsit. Neque tamen scriptionis tempus certò definiri potest.

Partes. V. Partes Epistolæ tres sunt, puta *primò Exordium*, v. 1--4. *Secundò tractatio*, gratulatio puta de veritate agnita, & ad constantiam exhortatio, v. 4--12. *Tertiò Epilogus*, v. 12. 13.

- I. Exordium.** I. *Exordium Epistolæ*, v. 1--4. Senior electæ Dominæ & liberis ob veritatem agnitam unicè dilectis, (2.) gratiam à Deo precatur. (3.) v. 1-4.
- II. Tractatio.** II. *Tractatio, gratulatio puta ob agnitam veritatem, & ad constantiam exhortatio.* v. 4--12. Gratulatur de liberis in veritate ambulantibus, juxta præceptum non novum, sed vetus, dilectionem imperans, (6) monens, caveant seductores non confitentes, Jesum Christum venisse in carne; (8.) & contra omnes transgressores pronuntians, quòd Deum non noverint, (9.) denique præcipiens, ne aliam doctrinam afferentibus ave dicant. (11.) v. 4--12.
- III. Epilogus.** III. *Epilogus.* v. 12. 13. Adventum suum promittens, (12.) sororis electæ liberos salutat. (13.) v. 12. 13.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ II. S. JOHANNIS.

Partes.

- I. Exordium, v. 1--4.
 II. Tractatio, puta gratulatio ob agnitam veritatem, & ad constantiam exhortatio, v. 4--12.
 III. Epilogus, v. 12. 13.

Inter

Interpretes Epistolæ II. S. Johannis.

Epistola
III. S.
Johann.

S. PATRES. Clemens Alexandrinus.

REFORMATI. Danæus, Grynæus, Zanchius, Angli,
Cawdrei, Johnesius, Pocoke.

AUGUSTANI. Beurlinus, Lybius, Selneccerus.

PONTIFICII. Seorsim nulli.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & Episto-
larum Catholicarum omnium cap. XXII. Lit. A.

CAPUT XXVII.

DE

Epistola III. S. Johannis.

BREVARIUM.

Author Epistolæ hujus idem, qui superioris. 1. Inscripta est Gajo, seu Cajo, non Corinthio, sed fortè Romano. 2. Occasio & argumentum Epistolæ. 3. Tempus scriptionis. 4. Partes tres sunt. I. Exordium Epistolæ. (v. 1--3.) II. Tractatio, puta laudatio fidei & beneficentiæ Gaji. (v. 3--13.) III. Epilogus. (13--f.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistolæ. 5.

I. **A**uthor Epistolæ hujus vocatur *πρεσβύτερος* Author. Senior: planè sicut author secundæ. Quem Johannem Apostolum intelligi, supra comprobavimus.

II. Inscibitur Epistola *Γαίῳ τῷ ἀγαπητῷ*, Gajo Inscrito dilecto, v. 1. Sitne idem Gajus, ejus Rom. XVI. 23, ptio.

I. Cor. I. 14. mentio est, quique Corinthius erat, & à S. Paulo conversus, necne, incertum est. Vix tamen id ratio temporis fert. Et hunc à S. Johanne conversum esse, ex v. 4. liquet. Ille verò à S. Paulo conversus videtur. Romanum seu Latinum fuisse, nomen Gaji, seu Caji innuere videtur.

III. Occasionem scribendi ad Gajum præbuere Occasio illi, qui constantiam Gaji apud ipsum laudabant. Ea occasione S. Johannes illi gratulatur, ad benefi-
cen-

Epistola centiam erga domesticos fidei continuandam eum
 III. S. exhortatur, Diotrephen notat, Demetrio attestatur,
Johann. & adventum suum promittit.

Tempus IV. De tempore hujus *Epistolæ* exaratæ idem,
 quod de præcedentis *Epistolæ* tempore, judicium
 ferendum putamus.

Partes. V. Partes hujus etiam *Epistolæ* tres sunt. *Primò*
 exordium, v. 1. 2. *Secundò* tractatio, laudatio
 puta ob veritatem agnitam, ad constantiam &
 beneficentiam exhortatio, &c. v. 3--12. *Tertiò*
 conclusio, v. 13--f.

I. *Exordium Epistolæ*, v. 1. 2.

Exordium. Gajo dilecto, mentem sanam habenti, reliqua etiam pro-
 spera precatur. v. 1. 2.

II. *Tractatio*, puta laudatio fidei & beneficentiæ Gaji,
Tractatio. Diotrephis reprehensio, & Demetrii commendatio.
 v. 3--12.

Gaudium suum explicat ob Gaji fidem, (4.) & charitatem
 erga fratres ab iis, ob nomen Christi exeuntibus testa-
 tam; (8.) rationem reddens, cur ipsi, non Ecclesiæ
 scripserit, quia Diotrephes ipsum non recipiat, quem
 insignitè notat, & fugiendum monet, (11.) Demetrium
 contra commendans. (12.) v. 3--12.

III. *Epilogus*. v. 13--f.

Epilogus. Brevitatem excusans, adventum suum promittit, (14.)
 & voto claudit. (15.) v. 13--f.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ III. S. JOHANNIS.

Partes.

I. Exordium, v. 1. 2.

II. Tractatio, puta laudatio fidei & beneficentiæ
 Gaji, Diotrephis reprehensio, & Demetrii
 commendatio, v. 3--12.

III. Epilogus, v. 13--f.

Interpretes Epistolæ III. S. Johannis.

S. PATRES. Scorsim nulli.

REFORMATI. Danæus, Dallæus, Zanchius. *Angli*, Joh-
 nefius, Knewstabb, Pocoke.

AUGUSTANI. Beurlinus, Lybius, Selneccerus.

PONTIFICII. Scorsim nulli.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & *Epistola-*
larum Catholicarum omnium Cap. XXII. Lit. A.

CAP.

CAPUT XXVIII.

Epistola
S. Judæ.

DE

Epistola S. Judæ.

BREVARIUM.

Epistole author est Judas Apostolus, non Episcopus quispiam Hierosolymitanus. Grotii objectiones solvuntur. 1. Epistole autoritas adversus veteres dubitantes, & Centuriatores asserta. 2. Inscriptio. 3. Scopus & argumentum Epistole. 4. Sero scriptam, probatur. 5. Partes tres sunt. I. Exordium. (v. 1. 2.) II. Tractatio, adhortatio scilicet ad decertandum pro fide semel tradita. (v. 3--23.) III. Epilogus. (v. 24. 25.) Interpretes Veteres, Reformati, Augustani, Pontificii, & Tabula Synoptica Epistole. 6.

I. **A**uthor Epistolæ est *Ἰούδας, Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀδελφός*, Author, ἀδελφός δὲ Ἰακώβου, Judas, Jesu Christi servus, frater verò Jacobi, Alphæi scilicet filii, v. 1.

Inscriptio verò eum Judam Ἀποστόλου Apostolum vocat; Tertullianus quoque *de habit. mul. cap. 3.* sic eam citat: *Ed accedit, quòd Enoch apud Judam Apostolum testimonium possidet.* Accedit, quòd Judas Apostolus frater Jacobi, Marc. VI. 3. Luc. VI. 16. Act. I. 13. disertè vocatur. Mirari proin subit, in animura venire potuisse Grotio, ut assereret, non Judam Apostolum, sed Judam alium, Episcopum Hierosolymitanum decimum quintum, qui Adriani temporibus paulò ante Barchozebam vixerit, Epistolæ authorem fuisse. Quòd enim *servum Christi*, non Apostolum se nuncupat, Apostolo authore scriptam non esse, minimè arguit. Nam & S. Paulus aliquando se *servum Dei* simpliciter, non Apostolum vocat, veluti Phil. I. 1. innuens scilicet, se non proprio motu, sed jussu Domini, & ministerium suum exequentem scripsisse. Necessè verò

Epistola
S. Judæ. non fuit, ut se Apostolum vocaret, quia in hac Epistola non tam de Christi dictis & factis testari, quàm simpliciter monere fratres, ut pro fide semel tradita decertent, propositum illi fuit. Certè nec in aliis Epistolis, velut ad Thessalonicenses, Philem. se Apostolum vocat. Neque etiam v. 17. jubens meminisse verborum prædictorum ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων τῆ Κυρίῃ Ἰησοῦ Χριστῆ, ab *Apostolis Domini Jesu Christi*, se ab Apostolis sejungit, sed ad Apostolos, qui ante ipsum scripserunt, provocat. Citat nempe verba Petri 2. Pet. III. sicut & Petrus ipse Epistolas Pauli. Porro in catalogo Apostolorum Matth. X. 3. Marc. III. 18. nomine Λεββαῖς *Lebbæi*, quod *cordatum*, & Ἰηθ Θαδδαῖος *Thaddæi*, quod *confessorem* notat, venit.

*Autho-
 ritas.*

II. Epistolæ huic contradicendum olim fuisse, Eusebius *Hist. Eccles. VI. 12.* & Hieronymus in catalogo referunt. Eam nihilominus inter septem catholicas numerari, & in plurimis Ecclesiis publicatam esse, Eusebius fatetur. Sed *νοθεύει νόθον* tamen facit ipse, hoc scilicet argumento, quòd pauci veterum ejus meminerint. Quod parum solidum est. Fieri nempe potuit, ut multi, qui scripserunt, vel non intellexerint Epistolam hanc, vel obiter legerint, vel occasionem citandi nullam habuerint, vel eam, quia nulli Ecclesiæ inscripta, paulatim in notitiam venit, non viderint, vel de ea visa addubitarint. Sicut etiam nonnulli de resurrectione Christi dubitarunt, Marc. XVI. 11. 14. etiam postquam illum viderunt, Matth. XXVIII. 17. Quæ dubitatio tamen veritatem resurrectionis Christi minimè labefactat. Athanasius tamen suo tempore inter indubitatas Catholicas recensuit. Tertullianus à Juda Apostolo scriptam agnoscit, & Clemens Alex. *Paedagog. lib. III. 8.* nec non *Strom. lib. III.* verba Judæ, nihil addubitans citat. Hieronymus quoque auctoritatem vetustate & usu eam meruisse, ac inter S. Scripturas computari scribit; addens tamen, à multis eam rejici, *quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, testimonium assumat.* Quasi scilicet Judas auctoritatem libri illius Apocryphi, &

non

non potius Prophetiam ejus commendet. Cætera *Epistolæ* argumenta à Centuriatoribus etiam, aliisque auctoritatibus *S. Judæ* Epistolæ hujus objecta, Cl. Gomarus *Explic. Epist. Judæ Oper. pag. 742. 743.* solide diluit.

III. Scripsit verò Judas τοῖς ἐν Θεῷ Πατρὶ ἡγιασμένοις, καὶ Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις κλητοῖς, *sanctificatis in Deo Patre, & Jesu Christo servatis, vocatis, v. 1.* Intelliguntur haud dubiè fideles omnes ex Judæis & gentibus ad communionem Regni Christi vocati, in quorum manus Epistola hæc verè Catholica, uti etiam in inscriptione vocatur, inciderit.

IV. Institutum ei fuit, scribere vocatis illis *Argumētum* περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας de communi salute, hortari- que adeò ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἀπαξ παραδοθείσῃ τοῖς *cum* αἰεὶ πίσει, ut decertent pro semel tradita sanctis fide. Nempe semel tradita fide, quæ una est, neque temporibus variat, in Dei Verbo à Mose, Prophetis & Apostolis descripto, futurum erat, ut subreperent homines impii, & depravatores doctrinæ illius & fidei semel traditæ. Contra horum seductionem, ne à Deo vivo & vero deficerent, fideles ita munivit Judas, ut eos secundum antecedentes Prophetias in Spiritu Prophetico depingat, cavendos moneat, veros fideles ab hæreticis coloribus suis distinguat, denique fideles, quomodo spem suam confirmare, cum errantibus decertare debeant, doceat.

V. Serò admodum scriptam esse Epistolam *Tempus* hancce, vix dubitari potest. Certè post Petrum scripsit, cujus verba eodem, quo ille, afflatus spiritu, ferè ita usurpat, ut Epistolæ ejus compendium hæc à nonnullis habeatur. Sed & ex v. 15. liquet, Judam post Apostolorum prædicationem & præmonitionem diu jam factam, & sufficienter traditam sanctis fidem (v. 13.) scripsisse, testemque adeò esse eorum, quæ Apostoli docuerunt antè & monuerunt.

VI. Tres sunt Epistolæ partes. *Partes.* Primò Exordium v. 1. 2. Secundò Tractatus, admonitio scilicet ad decertandum pro fide semel tradita. v. 3--23. Tertio Epilogus, seu *Δοξολογία.* v. 24. 25.

Epistola I. *Exordium*. v. 1. 2.

S. Judæ. Judas, Jesu Christi servus, vocatis sanctificatis bene precatur. (2.) v. 1. 2.

I. *Exordium.* II. *Tractatio, adhortatio scilicet ad decertandum pro fide semel tradita.* v. 3--23.

II. *Tractatio.* Necessum sibi fuisse scribere indicat, ut decertent pro fide semel sanctis tradita, (3.) eò quòd irrepserint homines impii, Dei gratiam ad lasciviam transferentes, & solum herum Christum abnegantes, (14.) exemplis Israëlitarum infidelium, Angelorum defectorum, Sodomæ & Gomorrhæ punitorum acriter, (7.) docens, eos, qui subintrârunt, somniantes carnem maculare, dominatus spernere, cum tamen ne Michaël quidem Archangelus Diabolo blasphemæ judicium inferre ausus fuerit, (10.) unde væ illis denuntiat, (11.) quales sint, describit, (13.) accommodato iis vaticinio Enochii; (16.) cavendos, utpote ab Apostolis etiam prædictos monens, fidei firmitatem, preces, charitatem, spem commendans; (21.) eosdem instruit, quomodo erga peccantes se gerere debeant. (23.) v. 3--23.

III. *Epilogus.* III. *Epilogus, seu Doxologia.* v. 24. 25.
Soliis sapientis Dei Salvatoris, qui inoffensos præstare potest, gloriam, imperium, magnitudinem celebrat. (25.) v. 24. 25.

TABULA SYNOPTICA EPISTOLÆ S. JUDÆ.

Partes.

I. *Exordium*, v. 1. 2.

II. *Tractatio, adhortatio scilicet ad decertandum pro fide semel tradita.* v. 3--23.

III. *Epilogus, seu Doxologia*, v. 24. 25.

Interpretes Epistolæ S. Judæ.

S. PATRES. Ambrosius, Clemens Alexandrinus.

REFORMATI. Danæus, Huldricus (Joh.) Junius, Paræus, Sibelius. *Angli*, Dixon, Jenkins, Manton, Oates, Perkins, Thurnebullus, Willetus, Broughton.

AUGUSTANI. Kirstenius, Lutherus, Pelargus, Rostius.

PONTIFICII. Aubertus, Bouldouc, Fevardentius, Lancelotus, Laurelotius, Massæus, Martinez, Quiros, Radæus, Sasbout, Scribonius, Theodulus.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. cap. 1. & Epistolarum Catholicarum omnium Cap. XXII. Lit. A.



CAPUT XXIX.

Apoca-
lypsis.

DE

Apocalypfi S. Johannis.

B R E V I A R I U M.

Cur Apocalypseos nomen inditum fit huic libro?

Ejus causa princeps Christus. 1. Qui eam permissum Angelum significavit servo suo Johanni, auctori libri. Eum esse Johannem Evangelistam & Apostolum, probatur. Consensus veterum. Θεολόγος cur dictus? 2. Auctoritas libri à veterum aliis impugnata, aliis orthodoxis etiam, Dionysium Alexandrinum secutis, in dubium revocata asseritur. 3. Inscriptus liber est septem Ecclesiis Asiaticis, & in earum typo Ecclesie universali. 4. Scopus libri. 5. Ejusdem summa & argumentum, Prophetia scilicet de iis, quæ sunt, & posthac futura sunt. 6. Dignitas ejus & claritas, hoc imprimis tempore, asseritur. Lux eidem asserta à modernis Interpretibus nostris: at tenebræ fœdè offuse à Pontificiis, qui lectis ejus vaticiniis toto animo cohorrescere debuerunt. 7. Postremus liber hic est, ob ordinem scriptiois & usus. Ultimas omnium scriptus est, & signaculum canonis. 8. Forma seu methodus Epistolica est. Dramata à Prophetiis probè distinguenda sunt. 9. Ordo libri disceptatus variè est. Unam catenatam historiam, ab initio ad finem continua serie deductam, non habet; neque filum est continuatum, sed aliquoties replicatum, in quo distinctæ pericopæ eandem representant, nisi quod ἐπεισόδια partem aliquam Prophetie subinde illustriorem reddunt Visiones aliæ universales sunt, particulares aliæ. 10. Utili-

Apoca-
lypsis.

tas libri summa adversus Papatum Bullingeri
verbis exponitur. II. Partes ejus tres sunt.
I. Exordium. (cap. 1: 1--12.) II. Tractatio, seu
visiones Propheticae septem, Ecclesiae Christi in
his terris militantis statum concernentes. (cap.
1: 12--22.) III. Epilogus. (cap. 22: 6--f.)
Interpretes Veteres, Reformati, Augustani,
Pontificii, & Tabula Synoptica libri. 12.

Inscri-
ptio.

I. **E**X Libris N. Test. restat unicus, atque Pro-
pheticus ille. Inscribitur: Ἀποκάλυψις Ἰωάν-
νης & Θεολόγος, Apocalypsis Johannis Theologi.
Ipse verò Author cap. I. 1. vocat Ἀποκάλυψιν
Apocalypsin, seu revelationem Jesu Christi, quam dedit
ei Deus demonstrandam servis suis. Quia scilicet Deus
Pater Christo ceu capiti Ecclesiae partes illas dedit,
ut Ecclesiae secreta multa revelaret & patefaceret.
Quod enim in V. Test. visionis & prophetiae nomine
venit, id in N. Test. scriptis frequenter Revelatio
vocatur, veluti 1. Cor. XIV. 26. 2. Cor. XI. 1. 7.
Liquet etiam, quae libri hujus causa princeps sit,
nimirum Jesus Christus, Dei Patris voluntate &
decreto Ecclesiae datus caput, Propheta, Sacerdos
& Rex unicus.

Johan-
nes, cui
facta re-
velatio.

II. Revelationem hanc Jesus Christus per mis-
sum Angelum significasse dicitur τῷ ἀγγέλῳ αὐτοῦ
Ἰωάννῃ servo suo Johanni, cap. I. 1. Johannem hunc
eundem esse, qui Evangelium & Epistolas scripsit,
adeoque Evangelistam & Apostolum, dubitamus
nulli. Ipse enim cap. I. v. 2. testatus dicitur τὸν
λόγον τῆς Θεῆς, καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅσα τε εἶδεν,
sermonem Dei (quem secundum promissionem
locutus est per Christum,) & testimonium Jesu Christi,
(quod Jesus sit Christus, ejusque, non Antichristi,
praecepta servanda sint,) & quae vidit. In Evangelio
scripto egit primum, in Epistolis secundum, in
Apocalypsi tertium. Accedit, quod absolute Jo-
hannes dicitur; & cap. I. v. 9. se in Patmo exitisse
testatur, quod vetus historia Johanni Apostolo
tribuit; & stylus formulæque loquendi familiares
(veluti quod Christum vocat agnum, λόγοι sermo-
nem,

nem, &c.) cum Johannis Apostoli stylo congruant; *Apoc.*
 (licet in libro Prophetico, inspiratione Divina *lypsis.*
 narrans visa, alio quodammodo stylo, quàm in
 Evangelio & Epistolis usus est, loqui debuit,) &
 author Apocalypseos se Antichristo perinde ac
 Johannes in priore Epistola, opponit; denique
 revelationem excellentissimam Apostolo dilectis-
 simo communicari conveniens fuit. Proin Johanni
 Apostolo librum hunc etiam vetustissimi tribue-
 runt, puta Justinus contra Tryphonem, Irenæus
lib. IV. 37. 50. V. 30. Clemens Alexandrinus *Pædag.*
II. 10. 12. Tertullianus *adv. Marc. lib. IV.* alibique
 passim. Origenes *Tract. 12. in Matth. 20.* Epiph-
 anius *her. 54.* Fuissèque hanc omnium Latinorum
 sententiam, Hieronymus *Epist. ad Dard.* testatur.
 Taceo inscriptionem & subscriptionem Syriacam
 & Arabicam, nec non Græcam Codicis Complu-
 tentis, quæ librum hunc Johanni Evangelistæ &
 Apostolo consentiens vindicat. Quòd verò in
 inscriptione Θεολόγος *Theologus* nuncupatur, ideo
 factum, quia veteres post Origenem Christiani
 eum κατ' ἐξοχήν *Theologum* insigniverunt, majori
 utique jure, quàm Platonici Orpheum; quia non
 tantum verbum Dei, vel Deum, ut reliqui Apo-
 stoli omnes, locutus est; sed quia inter cæteros
 Apostolos clarissimè, & in ipso initio Evangelii
 Filii Dei unigenitum Θεὸν ἔλεξε *Deum dixit* & no-
 minavit.

III. Tametsi verò Divinam libri hujus autho-
 ritatem non tantum olim hæretici varii, Cerdon, *Autho-*
 Marcion, Tertulliano teste, Alogi & Theodotia- *ritas*
 ni, Augustino & Epiphanio testibus, rejecerunt; *asserta.*
 sed etiam Orthodoxi, nominatim Ecclesiæ Græ-
 corum Dionysium Alexandrinum secutæ, Eusebio
Hist. Eccles. lib. VII. 25. & Hieronymo *in Epist. ad*
Dardanum memorantibus; & superiore seculo
 Erasmus, Lutherus, aliique in dubium revocâ-
 runt; tamen inter Divinos jam olim etiam meritò
 receptus est, adeò ut Epiphanius non dubitaverit
 inter hæreticos referre, quotquot ejus authorita-
 tem aspernati sunt. Eamque in solidum astruunt

Apoca-
lypsis.

sanctitas & veritas doctrinæ de Christi persona; officio, beneficiis, cultu, regno, eique opposito Antichristi Regno, cum reliquis libris Canonicis, Propheticis imprimis, quorum *Paraphrastes* pulchrè Johannes ab Oecolampadio vocatur, ex amussim convenientis; dictiones & dicendi formulæ sacris Scriptoribus eximia: typi Scripturæ familiares, apud Scriptores humanos non obvii: stylus sive structura orationis: *κρηολογία*, qua de rebus singulis convenienter naturæ gravitèrque disserit: Prophetiæ de Ecclesiæ statu, rebus ipsi & eventu hæctenus mirè comprobata: mysteria S. Scripturæ obvia. Hinc adèò vetustissimi, Irenæus & Justinus, Hieronymo etiam de *Vir Illustr.* teste, librum hunc commentariis illustrârunt; eósque secuti Theophilus Antiochenus, Melito Sardicensis, Origenes, Dionysius Alexandrinus, Eusebio *Histor. Eccles. IV. 23. 25. VI. 24. VII. 24.* teste, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, aliique plures Divinam libri hujus auctoritatem suspexerunt. Argumenta porro, quibus Divinam ejus auctoritatem profligare nonnulli tum veteres, Dionysium Alexandrinum secuti, tum recentiores, conati sunt, à Ven. Bullingero *Prefat. in Apocal. pag. 4.* nec non Cl. Gomaro *Explic. Cap. pr. Apocal. Oper. pag. 745.* solidè discutiuntur.

Septem
Eccle-
siar.

IV. Inscribitur autem liber hic *ταῖς ἐπτά ἐκκλη-
σiais, ταῖς ἐν τῇ Ἀσίᾳ* septem Ecclesiis, quæ in Asia sunt. Arethas Cæsariensis Episcopus: *Per septem Ecclesias*, inquit, & septenarium numerum τὸ τῶν πανταχῆ ἐκκλησιῶν πληθῶς, συστοιχῶν εἰς παρόντι multitudinem Ecclesiarum ubique locorum consistentium, presenti vitæ respondentium, designat. Neque aliter Primasius Uticensis, Africanus Episcopus septenarium huncce numerum explicat. Pertinet ergo, sic Ven. Bullingerus noster ad h. l. *hac salutatio, hic liber, & tota doctrina Jesu Christi conscripta per Johannem, ad universalem Christi in toto orbe terrarum, & per omnia secula existentem Ecclesiam.* Unde etiam ad nos omnes pertinet, quotquot sumus in Christi Ecclesia. Nam etsi Romanis & Galatis inscriptæ sunt Epistola, tamen

tamen non ideo sequitur, nostras non esse. Sensem Apocad suum emphaticè exprimit his verbis: Septem Ecclesie universalem REPRÆSENTANT.

V. Propositum S. Johanni est, tum in universum Ecclesiam Christianam de sorte sua inde ab Apostolorum temporibus ad finem usque mundi, instruere: tum piorum animos sub futuris calamitatibus fatiscentes erigere, & de salutari exitu persecutionum securos reddere: tum Regni Antichristi, non multum post tempestates persecutionum sedatas, Episcopis Ecclesiarum luxu & ambitione diffluentibus, suboritur formam, ingenium, subditos, ministros, locum vivis coloribus, ut rectius aliquando agnosceretur, depingere: tum denique Antichristi, hostiùmque omnium Ecclesie supplicia & interitum, Ecclesie verò triumphos, lætamque persecutionum omnium catastrophem ob oculos statuere.

VI. Continet igitur liber hic potissimum visiones fatidicas, seu vaticinia typica de iis, *α εστι, η α μελλει γινεσθαι μετα ταυτα, que sunt, (hoc est, futura sunt εν ταχιδι celeriter, cap. I. 1.) & que post hæc futura sunt, cap. I. 19. hoc est, de Ecclesie statu inde à revelatione facta usque ad finem mundi se extendentia, quorum summa est, Christum Jesum Dominum nostrum nunquam defuturum suæ in terris Ecclesie, sed spiritu & verbo illam gubernaturum; Ecclesiam verò ipsam, dum in hoc versatur seculo, propter Christum & veritatis Evangelii confessionem multa à gentibus, Antichristo, hæreticis, falsis fratribus passuram, sed victoriam fore Agni & Leonis de tribu Juda. Quæ omnia huc pertinent, ut electi omnes abundè præmoniti & instructi, omnibus seculis, quandiu mundus hic erit, Christo Redemptori, Regi & Sacerdoti summo, unico, æterno unicè vera fide adhæreant, ipsum ingenuè & sincerè confiteantur, invocent, innocentiam colant, ac in patientia venturum ad judicium, & liberaturum pios expectent: ab omni contra superstitione abhorreant, mundum cum variis illis suis religionibus, magnificentia & volu-*

Argu-
men-
tum.

Apoca-
lypsis.

ptatibus aspernentur; caveantque sibi quam maxime ab omni impietate, & fugiant præ cæteris Antichristum venturum, Regnum & Sacerdotium Christi sibi iniquissime vindicaturum.

Digni-
tas libræ.

VII. Quamvis verò non assentimur fanaticis, asserentibus cum Weigelio, *Apocalypsin esse primum totius Scripturæ librum, ejusque initium, medium & finem*, apud Celeb. Crocium *Antivveigel. pag. 71. &c.* merito tamen librum hunc *omni laude majorem*. S. Hieronymus jam olim insignivit: majori etiam, imò maxima laude dignum prædicaturus, si nostra in tempora, quibus clarissima complementa lucent incredibilem ei quotidie fœnerantur, incidisset.

An ob-
scurus?

Quam libri laudem obscuritas, ab iis, qui *gloriantur Dei esse celare verbum, & gloriam Regum scrutari verbum*, (Prov. XXV. 1.) non reputant, animùmque ad intelligentiam ejus componere nil pensi habent, prætenfa minimè offuscat. Tametsi enim frequentia libri hujus symbola, ænigmata (*omnis autem Prophetia, priusquam impleatur, ænigma est*, uti Irenæus loquitur) involvere sensum videantur, & frustra quisquam animum induxerit, nodos ænigmatum omnium solvere, & apices omnes acutifodere; sunt tamen quædam per universum textum sparsa clarissime dicta, quædam ex Prophetiis veteribus, quibus Judæicus populus inprimis assueverat, obvia; quædam per repetitionem, pleraque per eventus, Prophetiarum omnium interpretes certissimos, intelligibilia. Quæ ipsa ad abstrusorum & latentium adhuc intelligentiam qualemcunque, generalem saltem & indefinitam viam muniunt; ita ut lectori non contentioso, sed candido satisfieri possit. Certè legentibus beatitudo promittitur, cap. I. 3. ad expendendum librum frequentes adhortationes occurrunt, cap. XIII. 9. 18. XVII. 9. &c. neque eum occultari mortalibus, sed promulgari & patefieri Christus jussit, cap. I. v. 11. X. 11. & obsignari vetuit, cap. XXII. 10. Nec signatum amplius libellum accepit Johannes ab Angelo, sed jam apertum ab Agno, Apoc. V. 5. 9. X. 2. 8. Denique finis Divini consilii fuit, *Neque*

τοῖς Ἀγγέλοις ἀ τοῦ γενέσθαι, ostendere servis, quæ futura Apoca-
 sint, cap. I. 1. 19. XXII. 6. 16. Fine autem suo Deus ^{lypsis.}
 nunquam excidit. *Librum hunc*, ita magnus Bul-
 lingerus noster *Præfat. in Apocal.* loquitur, omnino
 simplicem & perspicuum esse puto fidelibus, attentè &
 cum pietate legentibus. Fateor, interpretes hujus libri
 veteres in eo explicando non rarò hæsisse, & semetipsos
 explicare non semper potuisse. Sed constat interim,
 illos ipsos non semel dixisse, vix hunc librum, prius-
 quam impleatur, intelligendum fore, tunc verò citra
 molestiam facilimè à quovis etiam intelligendum. Et
 priscis quidem illis Patribus videbatur Danielis visio
 prorsus esse obscurissima. Verùm cum ea sunt completa,
 quæ ille sub figuris velaverat, non defuerunt, qui scri-
 berent, ipsum scripsisse rerum gestarum historiam, non
 rerum gerendarum prophetiam. Sed & ipse Dominus
 noster in Evangelio secundum Matthæum: Cùm videri-
 zis, inquit, abominationem desolationis, quæ dicta est à
 Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, in-
 telligat, &c. Equidem si cum diligentia legerimus hunc
 librum, & contulerimus ea, quæ dicit sub involucre, cum
 his, quæ historię facta testantur: dicemus & nos, illum
 meras narrare historias. Ad promptiorem porro
 intelligentiam non parum juvabunt tum regulæ
 hermeneuticæ, seu fundamenta interpretationis,
 quæ fusè Viri doctissimi, Cluverus imprimis &
 Cotterius, Morus, aliique tradunt; nec non pha-
 rus Ecclesiasticæ historię, & Interpretes Apoca-
 lypseos, qui tum superiore, tum nostro etiam se-
 culo eam commentariis & cogitationibus piissimis
 ac doctissimis illustrârunt. Interpretes intelligo
 Evangelicos. Pontificii enim, imprimis Cornelius
 à Lapide, Ribera, Alcasar, aliique similis notæ, qui
 commentationibus suis sacra hæc oracula vel ad
 Antichristum fictitium, (lepores scilicet ipsi, at
 pulpamentum quæsitantes) vel ad bellum Ecclesiæ
 cum Synagoga & gentilitate, Apostolica tempora
 secutum, detorquent, adeoque depravant potius
 quàm explicant; ad mentionem Bestiæ, Pseudopro-
 pheta incolas terræ seducentis; mulieris meretricis
 cum Regibus terræ fornicantis; Civitatis magnæ septi-

Apoca- *collis*, Regibus terræ imperantis; *Locustarum* à fe-
lypsis. mo Abyssi prodeuntium, & Monachali habitu
 indutarum; *mercium* Babyloniarum, seu pietatis
 fictitiæ à Clero quæstui habitæ, aliorumque ejus-
 modi Antichristiani Regni emblematum, totis
 potius animis cohorrescere, quàm ad explicandum
 librum animum appellere debuerant.

Tempus VIII. Postremo loco liber hic collocatur, ob
 ordinem tum *scriptionis*, tum *usus*. Scriptus enim
 haud dubiè est non tantùm post Evangelium &
 Epistolas, uti ipse non obscurè cap. I. 2. innuit,
 Origene apud Eusebium Histor. Eccles. VI. 18. &
 Nicephoro lib. cap. 45. id ipsum testantibus; sed
 etiam post reliquas N. Testam. scripturas omnes.
 Scripsit enim in Patmo, cap. I. 9. quò relegatus
 est à Domitiano Anno Christi 96. superstes post
 annos sex, ad tertium scilicet annum usque Traja-
 ni, quo mortuum eum esse Sophronius testatur.
 Sed & *usu* postremus liber hic est, quippe Divi-
 num signaculum, quo universa Scriptura V. &
 N. Test. clauditur, uti Prophetica Apostoli con-
 testatio cap. XXII. 18. 19. similis ei, qua Canon
 Mosaicus, tanquam auspiciam Scripturæ commu-
 nitur, Deut. IV. 2. XXII. 32. arguit.

Metho- IX. Forma seu methodus libri ferè est *ἐπιστολική*
odus. seu *Epistolaris*. Epistolarum quippe *ἐπιγραφὴν* &
ὑπογραφὴν habet, prælato nomine scriptoris & Ec-
 clesiarum, quibus inscriptus est; ac voto Aposto-
 lico clauditur. Omnia etiam primæ visionis acta
 sunt Epistolica. Reliquæ verò visiones inde à cap.
 4. formam habent dramaticam, ut Apocalypsis
 tota *drama Propheticum* meritò insigniatur. Dra-
 mata autem à Prophetiis probè discernenda sunt.
 Illa sunt tum *preparationes* & velut prolusiones
 quædam ac apparatus visionum, veluti cap. I. v. 9.
 usque ad finem capitis; capp. IV. V. VIII. 1-7. XV.
 tum *chori* 24. Seniorum, 4. animalium, Angelo-
 rum, &c. horum hymni, preces, *ἐπινίκια*. Pro-
 phetias autem ipsa vaticinia & typi, quibus futuri
 eventus repræsentantur, exhibent. Omnes præte-
 rea visiones, exceptis duabus primis, tres ferè actus
 habent,

habent, puta mala Tragica Ecclesiæ, liberationem, *Apoca-*
 & ἐπιτυχίον seu δόξολογίαν. *lypsis.*

X. De ordine libri disceptatum variè est. Unam **Ordo.**
 catenatam historiam Ecclesiæ ab initio ad finem
 usque continuari continente serie, non desunt, qui
 asserant. Quos inter Alcasar, & è nostris Viri Cla-
 rissimi Brighmannus & Cluverus nomina sua
 profitentur. Sed jam olim S. Augustinus probè
lib. XX. de Civit. Dei cap. 17. observavit, in hoc libro
sic eadem multis repeti, ut alia atque alia dicere vi-
deatur, cum aliter atque aliter hæc ipsa dicere investi-
getur; adeoque visiones diversas typis variatis
 eandem historiæ Ecclesiasticæ periodum repræsen-
 tare. Cujus rei evidens argumentum est illa toties
 repetita ultimorum descriptio, quæ nulla anticipa-
 tione, sed recta serie historiæ singulis ferè visio-
 nibus subjicitur. Quod certissimum signum est,
 Apocalypsin non esse filum unum per totum
 librum continuatum, sed quasi aliquoties replica-
 tum, in quo distinctæ pericopæ eadem repræsen-
 tant. Nisi quòd ἐπισόδια partem aliquam Prophetiæ
 illustriorem novo modo exhibent. Sic tamen ea-
 dem aliter atque aliter dicuntur, ut priores visiones
 ferè sint obscuriores, posteriores priorum tenebris
 lucem clariorem mutuuntur. V. G. Septem sigillo-
 rum apertiones obscuræ videntur visione *secunda.*
 At visione *tertia* septem *tuba*, quæque sigillis suis
 subordinatæ, præsertim posteriores quinque, de
 stellis magnis de cælo cadentibus in terram, de
 locustis cruciantibus, nec tamen enecantibus homi-
 nes, de exercitibus quatuor Angelorum Euphratis
 lucem sigillis eximiam fœnerantur. Sic dimensio
 Templi, & duorum testium Prophetia subobscu-
 rior videtur. At ex visione *quarta* trium Angelo-
 rum contra Antichristum evangelizantium clarior
 redditur. Bestiæ historia cap. XI. XIII. minùs
 clara, cap. XVII. evidentior redditur. Extrema sub
 finem visionum priorum obscuriùs, sub finem po-
 steriorum clariùs adumbrantur. Præterea eadem
 aliter atque aliter dicuntur, non quòd iidem even-
 tus individui iterentur sæpiùs, sed quòd eadem perio-

Apoca-
lypsis.

periodus secundum alias atque alias historias insigniores, quandoque etiam manifestioribus typis figuretur. Denique omnes visiones eandem Ecclesie historiam describunt, non omnes tamen integram, sed alia integram, alia vero intervalla certa. Unde visiones alia sunt *universales*, complexae historiam integram totius Ecclesie inde ab initio ad finem usque; quae ipsae periodis suis, quas Cl. Paræus quatuor, alii pauciores, plures alii faciunt, (exiguo discrimine, cum res eadem in majores paucas, vel minores plures partes secentur, parum referat,) distinguendae sunt; quo in censu imprimis sunt visiones de sigillis, tubis, muliere parturiente, Dracone ligato & soluto; aliae *particulares*, veluti quinta de septem phialis plagarum novissimarum, & sexta de judicio magnae meretricis, excidio Babylonis, & interitu Antichristi. Haec de ordine Apocalypseos à S. Augustino, & recentioribus, Bibliandro, Bullingero, Nicolao, Colladono, aliis observata, & à Celeb. Paræo fusiùs diducta paucis constringenda, & Apocalypseos discipulo repraesentanda duxi.

Utilitas
libri.

XI. Apocalypseos lectio, meditatio, investigatio cum alias ob causas, tum ob Papatum imprimis, perutilis & necessaria est. *Habet enim* (verbis Ven. Bullingeri *Præfat. in Apocal.* uti lubet,) *hoc seculum*, (ac multò magis præsens) *in Papatu ingenia acuta & exercitata, quae & Pontificem & Ecclesiam Pontificiam miris laudibus ornant, contrariæque Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ in exercitationibus instillant atque persuadent. Accedunt his mirificæ artes, quibus supplantantur etiam prudentiores. Accedunt opes, vel divitiæ, authoritas, arma, minæ, promissiones & supplicia, quibus etiam firmi aliquot fatigantur & in partes abripiuntur Pontificis. Sunt multi ignari rerum; qui rem istam non ita aestimant, uti aestimari debuerat. Tales sùsque deque ferunt, qualis religio predicetur, Evangelicæ an Papisticæ, quidve de utraque credatur vel non credatur. Haec enim omnia nihil ad se pertinere existimant. Interim pereunt & periclitantur multi, deficiunt non pauci, ancipites hærent, contrahiturque Regnum*

gnum Christi. Nihil enim omittunt Pontificii, quod modo Apocafaciat ad reparandum Regnum suum, & ad demolien-^{typsis.} dum Regnum Christi. Ergo cum isti nihil hic parcant laboribus vel sumptibus, cum omnia convertant ad opprimendam veritatem Evangelicam, & ad impellendum in defectionem simpliciores quosvis: non debemus nos committere, ut Ecclesia, & in hac afflicti tentatique simpliciores, ea careant consolatione & admonitione doctrinæque, quam olim per Johannem ipse Dominus Jesus difficilibus hisce rebus temporibusque preparavit, Apocalypsi hac revelata. Singularem autem virtutem atque gratiam habent hic ea, quæ Divinitus nobis revelata sunt. Nec dejicietur adversarius emulûsque Christi ullis armis corporalibus, nisi gladio Verbi Dei. In animis enim hominum hunc vilescere, & interire necesse est, ut reviviscat Christus, & glorificetur in secula. Hactenus ille, non obscure eos feriens, qui libri hujus lectionem & meditationem nauseant, vel posteriore loco amandant.

XII. Optimi quique libri hujus Interpretes, tum veteres, tum recentiores, tribus ferè partibus ^{Partes.} eum describunt. Primò enim narratur libri Exordium, inscriptio puta, subscriptio, salutatio, summa libri, Cap. I. 1--11. Secundò visiones septem, concernentes Ecclesiæ Christi in his terris militantis statum, proponuntur, Cap. I. 12--XXII. 6. Tertio Epilogus, & in eo verba Angeli, Johannis conatus adorandi eum, mandatum divulgandî libri, verba Christi, & obsignatio libri texuntur, Cap. XXII. 6-f.

I. Exordium libri, inscriptio puta, subscriptio, salutatio, & summa, Cap. I. 1--11.

I.
Exordium.
Cap. 1.

Revelatio à Christo per Angelum mittitur Johanni, beatum prædicanti legentem & audientem sermonem Prophetiæ, (3.) & inscribenti eum septem Ecclesiis, cum voto gratiæ à Deo & Christo, (6.) summæque libri, quod Christus ver turus sit in nubibus, & super ipsam plancturæ sint omnes terræ, quodque sit principium & finis, (8.) quod ipsum ei, in Pathmo existenti, audita voce magna, ut tubæ, indicatum refert, (11.) cap. 1; 1--11.

II. Visiones septem Ecclesiæ Christi in his terris militantis statum concernentes. Cap. I. 12--XXII. 6. ^{II.} ^{Visiones septem.}

Vide

I. Visio-

Apoca-
lypsis.

1. Visionem primam, & in ea filium hominis ambulantem inter septem candelabra, & totidem Epistolas ad septem Ecclesias dictantem. cap. 1: 12--4. Ubi sunt
 - a. Descriptio filii hominis inter septem candelabra ambulantis. cujus exponuntur habitus, caput, pedes, vox, dextra, os, (16.) nec non verba, quibus Johannem exanimem, visione illa, confirmavit, (18.) visum scribere iussit, (19.) & mysterium 7. stellarum ac candelabrorum explicuit. (20.) cap. 1: 12--f.
 - b. Epistolæ ad septem Angelos Ecclesiarum, cap. 2. 3.
 - a. Ad Angelum Ecclesiæ Ephesinæ, quem laudat ob patientiam, (3.) vituperat ob omisam charitatem primam, (4.) ad resipiscentiam & priora opera invitavit, (5.) ob odium Nicolaitarum commendat; (6.) vincenti victum ex arbore vitæ promissa; (7.) Smyrnæorum, cujus patientiam, paupertatem laudat, (9.) consolatione in tentatione, & promissione vincenti addita; (11.) Pergami, cujus constantiam in loco, in quo Sathanas habitat, laudat, (13.) at tolerantiam Nicolaitarum reprehendit, (15.) resipiscentiam suadens, & vincenti manna occultum promittens; (17.) Tyathyrensis, cujus charitatem, fidem, ministerium laudat; (19.) tolerantiam mulieris Jezabel; cui; ut & mœchantibus cum ea interitum denunciat, reprehendit, (23.) reliquos non cognoscentes profunditates Sathanæ solatur, dum retineant quod habent, (25.) & vincenti potestatem in gentes, ac stellam matutinam promittit. (29.) cap. 2.
 - b. Ad Angelum Ecclesiæ Sardensis; cujus hypocrisin vituperat, (1.) vigilantia & resipiscentia eidem commendata, (3.) & piis residuis ambulatione in albis promissa; (6.) Philadelphie, cui ostium apertum, ob parvam potentiam & constantiam, (8.) nec non quorundam ex Synagoga Sathanæ, pro Judæis se venditantium humiliationem, (9.) & ob patientiam conservationem in hora tentationis promittit, (10.) jubens tenere, quod habet, (11.) & vincenti stabilitatem columnæ ac nomen novum addicens; (13.) & Laodicensis, cui ob teporem & hypocrisin abjectionem comminatur, (17.) suadens, aurum à se & collyrium emat, (18.) zelum, resipiscentiam; promptitudinem ad aperiendum pulsanti ostium commendans, (20.) & vincenti sessionem in throno Patris promittens. (22.) cap. 3.
2. Visionem secundam, scilicet throni, agni, libri, ejusque septem sigillorum ab agno apertorum, cap. 4-8: 1. Vide
 - a. Visionem throni. Ubi Johannes, ostio in Cælo aperto, thronum ibidem vidit, & in throno sedentem, similem Jaspidi & Sardio, (3.) circa thronum iridem, & thronos viginti quatuor, totidemque in iis Seniores, (4.) ex throno septem lampades ardentes, (4.) & mare

- & mare vitreum; in medio throni 4. animalia, (8.) *Apoca-*
 sedenti in throno gloriam dantia, (9.) Senioribus 24. *lypsis.*
 sedenti in throno laudes accinentibus. (11.) *cap. 4.*
- b. Visionem libri, ad quem aperiendum creaturæ frustra provocantur, (4.) à leone post victore de tribu Judæ, & agno mactato accepti, (7.) Senioribus 24. cum citharis & phialis aureis ei canticum novum, utpote, qui aperiat, dignissimo accinentibus, (10.) Angelis quoque innumeris, (12.) omnique creatura easdem laudes Agni decantantibus. (13.) *cap. 5.*
- c. Visionem septem sigillorum ab Agno apertorum. *puta*
- a. Sigilli primi, & in eo visi equi albi, habentis arcum & vincentis; (2.) *secundi*, & in eo visi equi rufi, cujus fessor pacem è terra abstulit; (4.) *terti*, & in eo visi equi atrii, cujus fessor trutina appendebat argentum pro tritico; (6.) *quarti*, & in eo visi equi pallidi, cujus fessor quartam partem terræ gladio percussit; (8.) *quinti*, & in eo visarum animarum sub altari mactatarum, vindictam poscentium, quibus datæ sunt stolæ albæ; (11.) *sexti*, & in eo auditi terræ motus, solis facti nigri, stellarum cadentium, Cœli amoti, Regum se abscondentium. (17.) *cap. 6.*
- b. Rerum cum apertione sigilli *sexti* connexarum, *puta* ventorum quatuor terræ coercitorum, donec signentur servi Dei in frontibus, (3.) signatorum numero agni, durante illa coercitione, (8.) turbæ multæ ex omni gente, stantis coram throno & agno, & Deum ac agnum celebrantis, (10.) Angelorum Deum glorificantium, (12.) amictorum stolis albis explicatorum, quod venerint ex tribulatione magna, & sint coram throno Dei, fervientes ei. (17.) *cap. 7.*
- γ. Sigilli *septimi*, quo aperto silentium in Cœlo obortum est tanquam semihorio. (1.) *cap. 8: 1.*
- δ. Visionem *tertiam*, & in ea septem Angelos cum totidem tubis buccinantes. *cap. 8: 2--12. Ubi*
- a. Johannes vidit septem Angelos coram Deo stantes, cum datis ipsis 7. tubis, uno Angelo, Christo, offerente in thuribulo suffitus orationum Sanctorum; (5.) mox Angelum *primum* buccinantem, facta grandine & igne in terram coniectis, exusta tertia parte arborum, & gramine virente; (7.) *secundum* buccinantem, magno moate igni ardente in mare coniecto; (9.) *tertium* buccinantem, cadente ex Cœlo stella magna ardente, cui nomen Absynthium; (11.) *quartum* buccinantem, percussa tertia parte solis, lunæ, stellarum, & volante Angelo in medio Cœlo, ac væ clamante, (13.) *cap. 8.*
- b. Vidit Angelum *quintum* buccinantem, stella ex Cœlo in terram lapsa, cui data est potestas abyssi, qua aperta ascendit fumus, solem & aëra obtenebrans, (2.) *ex*

Apoca-
lypsis.

(2.) ex quo locustæ in terram exiverunt, quibus data est potestas per quinque menses lædendi eos, quæ sigillum in frontibus non habebant, (6.) quarum species (10.) & Rex, Angelus Abyssi describitur, (12.) sextum buccinantem, solutis quatuor Angelis, ad fluvium magnum Euphratem ligatis, paratis ad occidendam tertiam partem hominum, ingente cum numero exercituum equestrium, (16.) quorum equi, habentes potestatem in ore, tertiam partem occidentes, residuis non resipiscentibus, describuntur.

cap. 9.

Cap. 10.

c. Vidit Angelum ex Cœlo cum libello in manu descendentem, & septem fulminibus loquentibus vocem suam, jurantem, quod sub septima tuba omnia consummanda sint, (7.) Johanne jussu libellum ex manu Angeli acceptum devorare, (10.) & coram populis, linguis ac Regibus prophetare. (11.) cap. 10.

11.

d. Johannes calamo templum Dei, altare, & adorantes in eo metiri jubetur, (1.) exterius projecto altari, gentibus civitatem sanctam menses 42, calcaturis dato, (2.) duobus testibus interea prophetaturis, quorum status, (4.) potestas ulciscendi adversarios per ignem ex ore eorum prodeuntem, (6.) absolutâ Prophetiâ occisio per bestiam, & cadaverum expositio per tres & dimidium dies, (10.) resurrectio & ascensio in Cœlum hostibus spectantibus, (12.) terræ motu interim facto, & decima parte civitatis cadente, atque sic væ secundo abeunde, (14.) exponitur; Septimo mox Angelo buccinante, auditisque è Cœlo vocibus, dicentibus, quod Regna mundi facta sint Christi; (15.) & 24. Senioribus Deum celebrantibus, (18.) apertoque Templo Dei in Cœlo, & visa arca fœderis, factisque tonitruis, grandine. (19.) cap. 11.

e. Visionem quartam, & in ea bellum Draconis & mulieris, bestias duas, & victoriam Agni de illis. cap. 12-14. Videtis

12.

a. Bellum Draconis. In Cœlo videtur mulier amicta sole, parturiens, (2.) cui insidiatur Draco, (4.) quæque post partum filii maris, ad Deum rapti, in desertum fugit, nutrienda ibi per 1260. dies, (6.) oborto in Cœlo bello inter Michaëlem ac Angelos ejus, & Draconem & Angelos ejus, qui victi propter sanguinem Agni in terram conjecti sunt, lætantibus Cœli incolis, at væ denuntiato incolis terræ & maris ob magnam Diaboli iram, (12.) Dracone interea persequente mulierem, quæ datis sibi alis in desertum aufugit, (14.) serpente aquam ut fluvium adversus illam effundente, a terra absorptam, (16.) unde Draco iratus reliquis seminis mulieris bellum indicit. (18.) cap. 12.

13.

b. Visionem Bestiarum, puta rum prioris, quæ ex mari ascendens habebat capita septem, & cornua decem, ac in iis diademata, similis pardo, (2.) quæ potestate à Dra-

1. Dracone accepta, & uno capitum ejus velut macula- *Apoca-*
 to ad mortem, sed iterum sanato, (3.) una cum Dra- *lypsie.*
 cone adoratur, (4.) & ore accepto loquente blasphemias, nec non potestate faciendi bellum menses 42.
 (5.) blasphemat immaniter, (6.) bellum sanctis
 infert, & eos vincit, adoratur ab incolis terræ; (10.)
 & posterioris ascendentis ex terra, habentis cornua
 similia Agno, sed loquentis Draconis instar, (11.)
 facientis potestatem prioris bestię, & cogentis ad-
 rare primam bestiam, (12.) facientis signa magna,
 ac per ea seducentis, suadentisque habitatoribus
 terræ, ut facerent imaginem bestię prioris, cui spiri-
 tum bestię prioris, inspiravit, ut faceret similia, (15.)
 data etiam cultoribus ejus signatura in manu & fronte
 ad emendum & vendendum. (17.) indicato numero
 ejus 666. (18.) cap. 13.

2. Bellum Agni cum Bestia. Agnus stabat in monte *Cap. 14.*
 Sion, & cum eo 144. chiliades sanctorum (1.) vox
 etiam audita ex Cælo, & vox citharædorum canen-
 tium canticum novum, non intellectum nisi a chi-
 liadibus sanctorum, virginibus, sequentibus Agnum.
 (5.) Alius Angelus volabat in medio Cæli, habens
 Evangelium æternum, jubens timere Deum, & dare
 ei gloriam. (7.) Alius Angelus nuntiat casum Ba-
 bylonis. (8.) Tertius Angelus vetat graviter adorare
 Bestiam, imaginem ejus, & signaturam accipere in
 manu vel fronte. (12.) Vox ex Cælo auditur, jubens
 scribere, beatos esse qui moriuntur. (13.) Apparet in
 nube similis filio hominis, (14.) cui acclamat Ange-
 lus, mitteret falcem suam in messem, cui messura
 eum tradit, (16.) alio Angelo ex Cælo egrediente,
 & falcem acutam habente, cui alius Angelus, ut mit-
 tat eam, & vindemiet vitem terræ, acclamat, (18.)
 cui parens ille vitem terræ resectam in lacum iræ
 Dei projicit, (19.) ex quo calcato exivit lacus usque
 ad frenos equorum. (20.) cap. 14.

3. Visionem quintam de septem phialis, & judicio meretricis,
 cap. 15--20. Vide

a. Visionem de septem phialis cap. 15. 16. ubi

1. Johannes videt Angelos septem in Cælo, habentes plagas septem extremas, (1.) mare vitreum, & victores bestię, habentes citharas, & canentes canticum Moſis & agni, (4.) ex Templo tabernaculi in Cælo exeuntibus septem Angelis, habentibus septem plagas, quibus unum ex animalibus dedit septem phialas aureas, plenas excandescentię. (7.) unde Templum fumo ex gloria Dei impletur. (8.) cap. 15.

2. Angeli phialas effundunt. ubi primo effundente in terram, ulcus malignum affligit cultores bestię, (2.) secundo in mare, factum illud est sanguis, & mortuum in eo omne vivens; (3.) tertio in fluvios, unde sanguis vindicans sanguinem sancto-

Apoca-
lypsis.

rum; (17.) *quarto* in solem, inde æstuantēs homines nomen Dei blasphemarunt; (9.) *quinto* in thronum bestię, cujus Regnum inde factum tenebricolum; (11.) *sexto* in fluvium Euphratem; cujus aqua exaruit, ut præpararetur via Regibus Orientis, (12.) & ex ore draconis, bestię, Pseudo-prophetę exiverunt spiritus tres immundi similes ranis, Reges ad bellum magnum Harmageddon sollicitantes; (16.) & *septimo* in aërem, vox magna ex Templo nuntiavit, factum esse, unde tonitrua, terrę motus magnus ingruere, civitas magna in tres partes scissa, & Babylonis mentio coram Deo facta, magnęque plaga per grandinem inflicta est. (21.) *cap. 16.*

b. Visionem de judicio meretricis. *cap. 17.-20.* Ubi

17.

α. Unus è septem Angelis phialas habentibus Johanni demonstrat *judicium meretricis magna*, (2.) abducto in desertum spiritu, ubi vidit mulierem sedentem super bestia coccinea, in fronte scriptum habentem, *Mysterium, Babylon magna*, (5.) ebriam de sanguine sanctorum. (6.) Miranti eam Johanni mysterium mulieris & bestię explicat, (15.) quodque decem cornua Bestię meretricem odio habitura & desolatura sint, (17.) & mulier sit urbs magna, Regnum habens in terra. (18.) *c. 17.*

18.

β. Angelus è Cælo descendens clamat, *cecidisse Babylonem magnam*. (3.) Alia vox jubet exire ex illa, (5.) retaliare ipsi, & duplicia reddere, (7.) indicans, uno die ei obventuras plagas, igne combustum iri, (8.) plancturos super ea scortatores ejus, (10.) mercatores, (16.) gubernatores, turbam in navibus, nautas, (19.) ast lætaturum Cælum, Apostolos, Prophetas, (20.) Angelo uno lapidis molaris in mare projecti typo *judicium illud* velox adumbrante, (21.) & cessatura voce citharætorum musicorum, alięque in ea expiraturis. (24.) *cap. 18.*

19.

γ. Vox tanquam turbę magnę in Cælo, prædicat Deum & judicia ejus, (3.) Seniores 24. & 4. animalia Deum celebrant (4.) Vox ex throno servis Dei laudationem Dei indicit. (5.) Vox turbę multę gratulatur Domino de Regno occupato, nuptiis Agni & uxoris. (9.) Johanne Angelum adoratur, sed facere id prohibito, (10.) ac mox vidente Cælum apertum, ac in eo Fidelem & Verum in Equo candido sedentem, qui vocabatur *Sermo Dei*, (13.) ex cujus ore romphæa acuta exivit, ut in ea feriret gentes, (15.) in veste & femore habens nomen scriptum: *Rex Regum, Dominus Dominorum*; (16.) Angelo quinetiam in sole stante, omnes aves sub Cælo ad Cœnam magni Dei invitante, ut comedant carnes Regum, &c. (18.) Bestia verò

verò ad bellandum cum sedente in equo accincta, *Apoca-*
 at mox unà cum Pseudopropheta, in stagnum *lypsis.*
 ignis & sulphuris coniecta, (20.) reliquis verò
 romphæâ sedentis in equo interfectis. (21.) *cap. 19.*

6. Visionem sextam de Dracone vinclo, soluto, in stagnum
 ignis coniecto, throno albo, iudicio ex libris, & resurrectione
 ex mortuis. *cap. 20.*

Johannes vidit Angelum descendentem de Cælo, ha-
 bentem clavim Abyssi, Draconem vincientem mille
 annis, ac in abyssum conicientem, (3.) dum interim
 vidit thronos, animas percussorum, non adorantes
 bestiam, ac regnantes cum Christo mille annos, re-
 liquis mortuis non resurgentibus ante mille annos,
 (5.) & beatis prædicatis illis, qui in prima resurre-
 ctione partem habent; (6.) finitis 1000. annis Sa-
 thanam solventem, (7.) qui exivit ad seducendum
 gentes, Gog & Magog, ascendentes in latitudinem
 terræ, & castra sanctorum ac civitatem dilectam
 corona cingentes, (9.) sed denuo coniectus est in
 stagnum ignis & sulphuris; (10.) vidente Johanne
 thronum candidum, & sedentem in eo, fugiente terra
 & Cælo, (11.) mortuos ex libris apertis iudicatos,
 (13.) mortemque & infernum in stagnum ignis
 coniectum. (15.) *cap. 20.*

20.

7. Visionem septimam, puta Cæli, terræ, Hierosolymæ
 novæ, & sponsæ. *cap. 21. 22: 6.* Ubi

a. S. Johannes vidit Cælum novum & terram novam,
 (1.) nec non sanctam civitatem Hierusalem ex Cælo
 descendentem, paratam, tanquam sponsam ornata
 viro suo, (2.) quæ describitur, ceu tabernaculum
 Dei, (3.) luctu vacuum, (4.) sedente in throno nova
 faciente omnia, (6.) vincenti hæreditatem, meti-
 culosis, &c. partem in inferno deputante. (8.) Mox
 unus ex 7. Angelis phialas habentibus Johanni osten-
 dit Sponsam Agni uxorem, sanctam Hierusalem,
 cujus luminare (11.) muros (14.) ostendit, ac calamo
 aureo civitatem, portas & murum metitur, varièque
 describit. (27.) *cap. 21.*

21.

b. Angelus idem Johanni monstrat fluvium aquæ vitæ
 limpidum, manantem ex throno Dei & Agni, (2.)
 sublato anathemate omni, & servis videntibus faciem
 Agni, (4.) nocte exulante omni. (5.) *cap. 22: 1-6.*

22.

- III. Epilogus, & in eo verba Angeli, Johannis cona- III.
 tus adorandi eum, mandatam divulgandi libri, verba Epilo-
 Christi, obsignatio Canonis. *Cap. XXII. 6--f.* gus.

Angelus Johanni verba sua, tanquam cœlitus missa com-
 mendat, (7.) Johannes eum adoraturus reprimatur, (9.)
 & obsignare sermones Prophetiæ hujus vetatur, (11.)
 Christus adventum suum promittit, fidelibus potesta-
 tem in lignum vitæ promittit, (14.) canes, &c. exclu-
 dit, (15.) se Angelum misisse testatur, (16.) spiritus &
 sponsa

Apoca-
lypsis.

sponsa adventum ejus anhelat, (17.) Johannes & denique canonem obsignat, (20) & voto claudit. (. (21.) cap. 22: 6--f.

TABULA SYNOPTICA APOCALYPSEOS.

Partes.

- I. Exordium libri, inscriptio, subscriptio, salutatio, summa, cap. I: 1--12.
- II. Visiones septem, Ecclesie Christi in his tē terris militantis statum concernentes, cap. I: 12--XXII: 6. ubi
 1. *Visio de filio hominis, Epistolas 7. disticante*, c. 1: 12--4. ubi
 - a. *Descriptio Christi revelantis*, c. 1: 12--1-f.
 - b. *Epistola septem ad Angelos*
 - α. *Ephesinum, Smyrnaeum, Pergameensem, Thyatirensē*, c. 2.
 - β. *Sardensem, Philadelphiensem, Laodiceensem*, c. 3.
 2. *Visio throni, libri, sigillorum*, c. 4--8: 1.1.
 - a. *Throni, & sedentis in eo variè celebrati*, c. 4.
 - b. *Libri à solo Agno aperti*, c. 5.
 - c. *Sigillorum septem*, c. 6--8: 1.
 - α. *Sigillorum sex priorum*, c. 6.
 - β. *Rerum cum apertione sigilli 7. connexarum*, c. 7.
 - γ. *Sigilli 7. c. 8: 1.*
 3. *Visio Angelorum 7. cum 7. tubis*, c. 8: 2 2--12.
 - a. *Angelorum 4. cum tubis 4. c. 8: 2--f.f.*
 - b. *Angelorum 2. cum tuba quinta & sexta*, c. 9.
 - c. *Angeli ex Caelo venientis cum libello à Jo Johanne devorato*, c. 10.
 - d. *Dimensionis Templi, duorum testium & 3 Angelis septimi cum tuba septima*, c. 11.
 4. *Visio Draconis, Bestiarum, Victoria & Agni*, c. 12--15.
 - a. *Belli Draconis cum muliere*, c. 12.
 - b. *Bestiarum duarum*, c. 13.
 - c. *Victoria Agni de Bestia*, c. 14.

55. *Visio*

5. *Visio phialarum, judicii meretricis, c. 15--20.* *Apoca-
lypsis.*
- a. *Septem phialarum, c. 15. 16.*
 - α. *Angelorum septem, victorum Bestia, septem
plagarum, c. 15.*
 - β. *Phialarum iræ Dei septem effusarum, c. 16.*
 - b. *Judicii meretricis, c. 17--20.*
 - α. *Judicii meretricis magna, c. 17.*
 - β. *Casus Babylonis explicatioris, c. 18.*
 - γ. *Laudati judicii Dei, Cœna magna, Bestia,
& Pseudopropheta in stagnum conjecti,
c. 19.*
6. *Visio de Dracone vinclo, soluto, in stagnum ignis
conjecto, throno albo, judicio ex libris, resurre-
ctione ex mortuis, c. 20.*
7. *Visio Hierosolyma nova, c. 21. 22: 6.*
- a. *Cœli, terra, Hierosolyma nova, Sponsa Agni,
c. 21.*
 - b. *Fluvii aquæ vitæ, c. 22: 1--6.*

III. Epilogus, & in eo verba Angeli, Johannis
conatus eum adorandi, mandatum vulgandi
librum, verba Christi, & obsignatio Canonis,
cap. XXII: 6--f.

Interpretes Apocalypseos.

- S. PATRES. Ambrosius, Andreas Cæsariensis, Anselmus,
Arethas, Augustinus, Eusebius, Hieronymus, Irenæus,
Justinus, Melito Sardicensis, Primasius, S. Victorinus
Mart. Beda, Haymo, Ansbertus, Oecumeaius, Rupereus.
- REFORMATI. Alstedius, Bibliander, Borhaus, Bullingerus,
Cluverus, Colladon, Cotterius, Crelotius, Eglianus, Go-
marus, Graferus, Gravius, Junius, Laurentius, Mejerus
(Sebast.) Paræus, Sibelius, Suicerus, Markius, Polier,
Jurius, Lambertus, Albertus, Artopæus, Groenwegen.
Angli, Arthurus, Brighmannus, Broughtonus, Cooperus,
Durham, Forbesius (Patricius,) Farthe, Foxius, Fulco,
Giffard, Guild, Jacobus Rex, Mason, Medus, Morus,
Napeirus, Perkinsus, Potterus, Pricæus, Prideaux, Trig-
gus, Ufferius, Foord, Bernhard. Hollandus, Alabus,
Biermannus, Vitringa.
- AUGUSTANI. Artopæus, Chytræus, Gerhardus, Hoë,
Jungnitius, Scalichius, Winkelmannus, Nigrinus, Ho-
gelius, Kromajer, Woltherus.
- PONTIFICII. Alcasar, Aravantius, Bernardinus, Brocardus,
Brundus, Bruno, Bulengerus, Caponsachius, Eudæmon,
Estius, Firminus, Gagnæus, Gallus, Hales, Haye, Heaten-
nius, Hiltens, Jesu Maria, Joachim Abbas, Lindanus, Melo,
Monte Martyrum, Padua, Peltanus, Pererius, Ribera,
Ruper-

Libri
Apocr.
N. Test.

Rupertus, Suarez, Viegas, Herveus, Murschelius, Cusanus, Olivus, Alph. Conradus Mantuanus, Caelius Panonius, Cydomius.

Addantur Interpretes Librorum N. Test. omnium. Cap. I.

CAPUT XXX.

DE

Libris Apocryphis N. Test.

BREVARIUM.

Apocryphi libri N. Test. ex Gelasio & Concilio Romano recensiti 1. Eorum nonnullos à modernis Jesuitis defendi, meritò Casaubonus miratur. 2. Libri Apocryphi N. Test. distribuuntur in eos, qui Christo, B. Virgini Mariæ, Apostolis & Apostolicis Viris falso adscripti sunt. 3. Christo adscripti olim sunt tum libri nonnulli ad Petrum & Paulum. 4. Tum imprimis Epistola ad Abgarum Edessenorum Regem, quæ verbotenus representatur. 5. Et ad eundem revocatur. 6. B. Virgini Mariæ adscribitur Epistola ad Ignatium, cujus veritas adversus Canisium asseritur. 7. Apostolis omnibus tribuuntur Constitutiones & Canones, quorum veritas & origo indigetata. 8. Nec non symbolum, vulgò Apostolicum dictum. 9. Apostolis & Evangelistis quibusdam olim adscriptæ sunt liturgiæ, puta Jacobo. 10. Petro. 11. Mattheo. 12. & Marco, quorum veritas adstruitur. 13. Et Baronii $\sigma\sigma\delta\delta\upsilon\upsilon$ $\Phi\acute{\alpha}\rho\mu\alpha\kappa\alpha\upsilon\upsilon$ discutitur. 14. Sed & Evangelii, Actis, Epistolis, Apocalypsi, Canonicis, Evangelia, Acta, Epistolæ & Apocalypses Apocryphæ à veteribus surrogata sunt. Cujusmodi sunt Protevangelion Jacobi, Evangelia Petri, secundum Hebræos, Matthiæ, Judæ,

Jude, Nicodemi. 15. Actus Petri, Pauli, Andreae, Libri Apocr. N. Test. Johannis & Thomæ. Quò referuntur etiam πειθοδοι seu circuitiones Apostolorum, veluti Petri, Johannis & Thomæ; nec non liber Pas- sionis S. Andreae, Pauli & Theclæ acta, Prochori vita Johannis Apostoli, Lini historia de Petri & Pauli passione, & Abdias Babylonius de rebus gestis Apostolorum. 16. Epistola puta S. Pauli ad Laodicenses & Senecam, Barnabæ, Clementis ad Corinthios, Lentuli Epistola de Christo. 17. Denique Apocalypses Petri & Pauli. 18. Hermæ quoque S. Pauli discipulo olim tributus, varièque à S. Patribus laudatus est liber Pastor dictus. An idem ille, qui hodie sub ejus nomine circumfertur, sit, inquiritur, ejusque autoritas adversus Stapletonum impugnatur. 19. Omnes hosce aliòsque N. Test. Libros Apocryphos tribus notis ac indiciis à veris Canonicis N. Test. Libris S. Patres olim distinxerunt. 20.

I. **S**icut Vetus, ita Novum etiam Testamentum Apocry-
 pho N. T. libros habet Apocryphos: sed diversi generis
 illos. Gelasius enim in Concilio Romano Apocryphorum N. Test. feriem satis longam tex-
 xuit, quæ Juri Canonico *Dist. XV. cap. 3. Sancta Romana Ecclesia* inserta est. Ibi nempe videre est obelo confixa & critico veru transfossa *Itinerarium Petri Apostoli, Actus nomine Andreae, Philippi, Petri, Thomæ vulgatos, Evangelium Thaddæi, Thomæ Apostoli, Barnabæ, Bartholomæi, Andreae, Evangelia ab Hircio falsata, libros de infantia Salvatoris, de nativitate Salvatoris, de S. Maria, de obstetrice Salvatoris; librum, qui appellatur Pastoris; Actus Theclæ & Pauli; Revelationem Thomæ, Pauli, Stephani; librum, qui appellatur transitus S. Mariae; librum, qui appellatur Sortes Apostolorum; librum Canonum Apostolorum; Epistolam Jesu ad Abgarum Regem, &c.* Subjicitque Gelasius: *Hæc & omnia his similia, quæ Simon Magnus, Nicolaus, &c. docuerunt, vel conscripserunt, non solum*

Libri Solùm repudiata, verùm etiam ab omni Romana & Apo-
Apocr. *stolica Ecclesia, eliminata, atque cum suis authoribus,*
N. Test. *auctorùmque sequacibus sub anathematis indissolubili*
vinculo in aeternum consistemur esse damnata.

A Pon- II. Meritò autem miratur doctissimus Casau-
tificiis bonus *Exercit. XIII. Ss. 31.* authoritatem illam Ro-
nonnul- mani Concilii, & Papæ Gelasii adeò contemni
lis de- hodiè, & pro nihilo duci ab illis, quibus singula
feris. verba Pàparum multò posteriorum, puta alicujus
 Hildebrandi, vel Bonifacii octavi, aut Alexandri
 sexti, totidem sunt Oracula Divina. *Nam quis, ita*
ille, ignorat, multos hodie falsos & fabularum plenos
libros à Francisco Turriano, Petro Canisio, Christophoro
de Castro, non obscuri nominis Jesuitis, nec non à pluri-
mis aliis defendi, qui à Papa Gelasio sunt reprobati?
 Quæ scribit occasione Epistolæ Jesu ad Abgarum,
 & Abgari ad Jesum, quas à Gelasio inter Apocry-
 pha scripta repositas, Baronius *ad A. C. 31. num. 58.*
 describit, & commendat tanquam fide dignas,
 neque ab Ecclesia proscriptas.

Apocry- III. Delibare præcipuos illos N. Test. Apo-
phi N. cryphos, eos inprimis, qui qualicumque apud
T. distri- nonnullos in pretio sunt, vel fuerunt olim, è re
biti. fuerit. Sic autem eos distribuere libet, ut alii sint,
 quos Christo, alii quos B. Virgini Mariæ, alii quos
 Apostolis & Apostolicis Viris authoribus im-
 postores vetusti acceptos tulerunt.

Christo IV. Olim *Christi* libros nonnullos ad Petrum &
tributi. Paulum, continentes eas artes, quibus patrauerint
 miracula sua; circumtulisse desipientes quosdam;
 S. Augustinus *de Conf. Evangel. lib. 1. cap. 9.* testatur;
 eosque putidissimi mendacii jure arguit. Et
 hæreticorum quisquiliis ac blasphemis nemo non
 hodie illos deputat.

Epistola V. Majorem authoritatem tribuunt nonnulli
ad Ab- Epistolis illis, quas Abgarus, (seu potius ^{Arçap}
garum. *Akbarus*, quod Arabibus *potentissimum* sonat, uti
 legendum Doctiss. Valesius ex emendatissimis
 quibusque Codicibus censet,) Toparcha Edesse-
 nus ad Christum, & Christus ad illum dedisse
 feruntur. Extat illa Græcè apud Eusebium *Histor.*
Eccles.

Eccles. lib. I. cap. 13. Arabicè verò in Animadver- Libri
Apocr.
N. Test.
sione Ludovici de Dieu ad Evangelium Persicum
Xaverii pag. 611. Exemplaris possessor erat Medi-
cus πολύγλωττος, Johannes Elichman, quod dein-
ceps in manus Usserii Armachani incidit. Persicum
etiam extat apud ipsum Xaverium in Præfatione.
Servari eam suo tempore ἐν δημοσίοις χάρταις in
publicis chartis Edessenorum Eusebius idem testis
est. Abgarus nempe, si credimus veteribus illis,
concitus famâ miraculorum Jesu, ad illum scripsit,
eumque ad se Edessam invitavit, curaturum scilicet
τὸ πάθος passionem, qua ille laboraverit. Ei respon-
disse Jesus in Epistola, quam χειρόγραφον ἐπιστολί-
διον Menologium Græcorum ad 16. Aug. appel-
lat, fertur hunc in modum: "Αβγαρε, μακάριος, εἰ
πιστεύσας ἐν ἐμοὶ, μὴ ἰσρακὴς με. Γέγραπται γὰρ περὶ
ἐμῆ, τὸς ἰσρακώτας με, μὴ πιστεύσῃ μοι, ἵνα οἱ μὴ
ἰσρακώτες αὐτοὶ πιστεύωσι καὶ ζήσωσι. περὶ δὲ ἡ ἔγρα-
ψάς μοι ἔλθεῖν πρὸς σὲ θίον ἐς πάντα, θι ἂν ἀπεισά-
λην, ἐθαῦτα πληρῶσαι με, καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι, ἕτως
ἀναληφθῆναι πρὸς τὸν ἀποσφραγτά με, καὶ ἐσφραγῆν ἀνα-
ληφθῶ, ἕποσελῶ σοὶ τινὰ τῶν μαθητῶν μου, ἵνα ἰάσῃται
σὺ τὸ πάθος, καὶ ζήσῃ σοι, καὶ τοῖς σὺν σοὶ παράσῃται.
*Abgare, beatus es, qui in me credideris, quem non
vidisti. De me enim scriptum est, eos, qui me viderint,
non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes
vitam accipiant. Quòd verò ad me scribis, ut ad te
proficiscar, hinc necesse habeo omnia implere, propter
quæ sum missus, itaque demum absolutis, ad illum, qui
me misit, reverti. Ceterùm cum primùm ad eum me
receptero, ex discipulis meis aliquem ad te mittam, qui
est morbum tuum curet, et vitam tibi tuisque omnibus
prestet.* Subjunctum huic Epistolæ Syriaco ser-
mone testatur Eusebius, quòd post ascensum Jesu
Christi Judas, qui etiam Thomas dictus est,
Thaddæum Apostolum, unum è septuaginta ad
Abgarum miserit, quòdque is primùm Tobix
cujusdam hospitio exceptus, mox ad Regem ad-
ductus, & ab eo adgnitus, ipsum aliòsque mira-
culosè curaverit.

VI. Epistolas has tanquam fide dignas, nec ab Ejus
Eccle- censura.

Libri Apocr. N. Test. Ecclesia proscriptas Baronius ad A. C. 31. Ss. 58. & ex nostris ἐπαμφοτερίων Montacutius Origin. Eccl. Tom. II. part. 2. commendant; non ausi tamen eas inter Hagiographa transferre. Quod nec alii, Bellarminus de Script. Eccles. ad An. 34. Costerus Enchirid. cap. 1. ausi sunt. miro certè stupore. Etenim si Jesu authore scripta est Epistola, quis adeò vācors est, ut Divinam & Canonicam authoritatem ei derogare, & ab Apostolis scripta Canonica, à Jesu verò ipso scripta ἀκανόνισα pronuntiare ausit? Inprimis si eam, quam Legenda Thomæ Apostoli, & Petrus de Natalibus Catal. S. lib. 4. cap. 43. ei tribuunt, dignationem vimque in urbe Edessæ obtinet, ut ab ejus ad Abgarum missæ tempore nullus ibi hæreticus, vel Judæus, vel idolorum cultor vivere possit; hostesque audita Epistolæ hujus per murum lectione, civitatem eam infestam habere non audeant? Sed Apocryphas Epistolas hæscæ Gelasius longè sapientiùs pronuntiavit. Eusebio, certè nimix credulitatis etiam in aliis reo, vel Archivorum Edessenorum Præfectus aliquis fucum fecit, uti Doctiss. Vossius Harmon. Evangel. lib. II. 6. conjectat; vel præceptis de γρηγοριότητι Epistolarum illarum judicium imposuit. Ubi enim extant scripta verba illa, quòd videntes non credituri, & non videntes credituri sint? Etenim Joh. XX. 29. Christus post resurrectionem Thomæ dixit: Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Sed hæc Epistola, siquidem vera est, objurgationem illam Thomæ, inprimis scripto mandatam aliquot annis antecessit. An legationem adeò illustrem Regis ad Christum tacuissent Evangelistæ, qui minora longè persecuti sunt, & quos magis ea scriptio decuisset, quàm post tot annos Eusebium? Præterea Christi tempore fuisse Edessæ Regem, probari nequit. Neque, si Rex talis fuit, dici potest, Christum, qui mulierem Cananæam à se inopem non dimisit, imò Johannis VI. 37. promisit, se venientem ad se non ejectionem foras, Regis hujus preces ratas non habiturum fuisse. Taceo tum varietatem editionum Græcæ & Arabicæ, quam qui obiter con-
tende-

tenderit, reperiet: tum *γενώμεθα μύθους*, leu con-
 nexas inanes fabulas, ac inter eas inprimis illam
 de imagine sua à Christo unà cum Epistola ad
 Abgarum missa; cujus scilicet unius in gratiam
 suaviter adeò iconolatris Epistola etiam illa
 arridet.

VII. B. Virgini *Maria* apud Sixtum Senensem
Biblioth. lib. 2. aliòsque adscribitur Epistola ad
 Ignatium, de Jesu ex illa sciscitantem. Sic autem
 illa apud Sixtum Senensem sonat: *Ignatio dilecto
 discipulo humilis ancilla Jesu Christi. De Jesu, quæ à
 Jobanne audisti, ac didicisti, vera sunt. Illa credas,
 illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas,
 & mores & vitam voto conformes. Veniam autem unà
 cum Jobanne, te, & qui tecum sunt, videre. Sta, &
 in fide viriliter age, nec te commoveat persecutionis
 austeritas, sed valeat & exultet Spiritus tuus in Deo
 salutari tuo, Amen.* Citatur illa à Canisio de *Deipar.
 Virg. lib. V. cap. 1.* probaturo scilicet, Mariam in
 charitate proximi exercenda inprimis diligentem
 fuisse. Sed veterum ante tempora Bernhardi, qui
Serm. 7. in Psal. 90. eam citat, ejus nemo meminit:
 ne ii quidem, qui S. Ignatii historiam & scripta
 accuratè tradidere. Igitur ad scripta Apocrypha,
 vel saltem incerta, etiam Joh. Maria Sacri Palatii
 Apostolici Magister in *Indice Rom. Expurg. tom. 1.*
 & Baronius ad *An. 48. n. 25.* eam relegant.

VIII. *Apostolis* omnibus authoribus tribuun-
 tur à nonnullis *διατάξεις* Constitutiones, octo libris
 comprehensæ, quibus præcepta de vita fidelium
 & ministerio Ecclesiastico traduntur. Octavum
 eorundem librum conficiunt *κανόνες*, *Canones*, juxta
 Græcos quidem numero 85. de ordinatione, vita,
 officio Episcoporum ac Presbyterorum, de Cleri-
 cis item, diebus festis, aliisque ejusmodi præcipientes.
 Utrosque & *Constitutiones* & *Canones* ab Apo-
 stolis conscriptos, à Clemente Romano collectos,
 Lindanus, Turrianus, Lambertus, Gruterus, Pi-
 ghius, aliique pertendunt. Constitutionum verò
 tum authoritatem Apostolicam, tum antiquitatem
 etiam argumentis irrefragabilibus *Celeb. Dallæus*
 libro

Libri Apocr. N. Test. libro de Pseudepigraphis Apostolicis edito oppugnavit: & pridem Synodus VI. Trullana *Can. 2.* eas ad securitatem Ecclesiæ rejiciendas decrevit. Sed & *Canones* Apostolis authoribus prægnatos non esse, vel id unum validè arguit, quòd iis novus cultus multùm à simplicitate Apostolica degenerans, veluti oblatio olei in candelabro, jejunia humana, paschatis celebrandi tempus decretorium, excommunicationes ob res leviculas, altaria, gradus, aliæque ejusmodi fanciuntur & constituuntur. Et quosdam saltem *Canones* imprimis 65. 67. 84. 85. Apostolicos non esse, Baronius, Bellarminus, Possevinus asserunt. Jam olim autem Gelasius inter libros, quos nullatenus recipit Ecclesia Catholica, & Apostolica Ecclesia Romana, Apostolorum etiam *Canones λεγομένους* recensuit, uti supra vidimus. Neque quisquam est ex Pontificiorum grege, qui se ad Canonum horum observantiam adstringi passurus sit unquam. An verò iidem saltem ab Apostolicis Viris, secundo labente, & ineunte tertio seculo, conscripti sint, quod Doctiss. Beveregius *Annot. in Can. Apost. Pref. Ss. 10.* & ferè etiam ante ipsum Albaspinæus *Observat. lib. I. cap. 13.* asseverant, fortiter autem Dallæus *πολυμαθής αὐτῶν de Pseudepigr. lib. 3.* negat; disceptare, nec loci hujus, nec instituti est.

Symbolum
Apost.

IX. Sed & Apostolis omnibus authoribus *Symbolum* vulgò *Apostolicum* dictum, vindicare Rufinus, Ambrosius, Hieronymus, & recentiores, Pontificii imprimis conantur. Quamvis verò inficias non eamus, in Symbolo eo epitomen & medullam Apostolicam contineri; ipsam tamen compagem & texturam Apostolis originem debere, gravibus argumentis Viri doctissimi, Vossius imprimis, & Usserius, aliique permulti negant. Et argumentis pluribus id ipsum singulari *Dissertatione*, quæ *Dissert. Select. Tom. II. pag. 627. &c.* asseruimus. neque ibi dicta heic repetimus.

tur-
giæ.
S. Jacobi.

X. Apostolis & Evangelistis nonnullis, puta Jacobo, Petro, Matthæo & Marco Liturgiæ tribuuntur, de quibus singulis pauca. S. Jacobi Liturgia in *Bibliotheca Patrum Tom. 6. Edit. 3.* inscribitur:

Sancti

Sancti Jacobi Apostoli, fratris Domini, & Hierosolymarum primi Episcopi Divina Missa, quæ separatim etiam Antverpiæ A. 1560. edita est. Liturgiam hanc à Proclo Constantinopolitano Archiepiscopo, qui in Synodo Ephesina adversus Nestorium fortiter dimicavit, ceu genuinam agnosci; & ex eadem Concilium Trullanum sub Justiniano celebratum hæreticos, vino tantum in S. Coena utentes, refellere, Sixtus Senensis *Biblioth. S. lib. II. p. m. 67.* refert. Et passim ejus autoritate Bellarminus pugnat. Nuper etiam Leo Allatius eam, ceu celeberrimam omnium in Symmictis pag. 176. defendit. At supposititiam esse, probat Cocus, tum quia in ea mentio fit Confessorum, quorum nomen seriùs in Ecclesia obtinuerit: tum quia in ea reperitur nomen *ἰεροσόλων*: tum quia B. Virginem Mariam vocat *θεοτόκεν*, quæ vox ante Nestorii tempora usu recepta non sit: tum quia author eo errore teneatur, quòd animæ Beatorum ante diem judicii Deum visuræ non sint. Adde, quòd Author promiscuè Altare & mensam in Coena statuit, & Ecclesiam Hierosolymitanam matrem omnium Ecclesiarum appellat. Quæ & similia sequiori ætate irrepsisse, sine ullo argumento Baronius *ad A. 63. n. 17.* & Bellarminus caussantur. Rectiùs multò Balsamon Patriarcha Antiochenus, à Marco Alexandrino de hac similibusque Liturgiis interrogatus, respondit: *ὅτι μὴ εἶναι δεκτὰς, nequiquam recipiendas esse.* quæ Epistola apud Freherum in *Jure Græco-Romano, Tom. I. lib. 5. pag. 362.* extat. ubi etiam ad Concilii Trullani Liturgiam hanc citantis canonem respondet.

XI. S. Petro arrogata Liturgia ex interpretatione S. Petri. Guilhelmi Lindani edita est, & in Bibliothecæ Patrum Tomo 1. edit. Colon. extat. At S. Petri non esse, argumento plura sunt: inprimis quòd in ea fit mentio Lini, Cleti, Clementis, Cornelii, Cypriani, &c. quòdque in ea preces funduntur *pro venerando Patriarcha nostro*, qui tunc nullus erat; & *pro religiosissimis Augustis*. Neque tempore Petri ullus erat in Ecclesiæ Christianæ officio *ἱερεὺς sacerdos;*

Libri Apocr. N. Test. *cerdos*: vel Θερόνος vox innotuit. Et si Petro auctore procusa esset, Ecclesia Romana eam recipere debuisset. Cui tamen in Apuliam ablegatæ Missam Gregorii, vel Scholastici cujusdam, prætulit. Neque Bellarminus ullibi citare ausus est hanc Missam sub nomine S. Petri, licet antiquas Missas solerter fatis ruspatus sit.

Natthæi. XII. Sed & S. *Matthæo* tribuitur Liturgia, quæ vulgò *Missa Æthiopum* vocatur. Plura *ῥηθείας* argumenta etiam illam produnt. veluti quòd precatur Deum, *ut absolvat Pontifices, Principes, Reges nostros; Patriarchas, Archiepiscopos, &c.* quales tempore S. Matthæi nullibi gentium fuerunt; quòd *Ἐπαῖτα, & aurei numeri*, recentioris inventi, meminit; quòdque superstitionis ferius in Ecclesiam invecatæ pluscula etiam vestigia habet.

Marci. XIII. Neque sincerior est S. *Marci* Liturgia, quæ à Sirleto Cardinale edita, in Bibliotheca Patrum *Tom. 6. Edit. 3.* extat, & à Gregorio de Valentia, Coccio, aliisque ad incrustanda Missæ hodiernæ deliria citatur. At meminit illa in collecta, vel *ὑναπτῆ*, Marci martyrio coronati. Quomodo igitur ipse Marcus eam scribere potuit? Precatur etiam pro omnibus orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus & Laicis, qui certè ordines ministrorum S. Marco penitus incogniti fuerunt. Taceo expressissima superstitionis recentioris vestigia, quibus & hæc liturgia non parùm attaminata est.

*Baronii ex-
ceptio.* XIV. Cùm Liturgiis hætenus recensitis non pauca recentioris originis indicia insint, Baronius ad *An. 63. n. 17.* σοφὸν φάσμακον hocce adjicit: Sed illud accidit, (quod etiam apud Latinos factum esse constat) ut in sacratissima Missa aliis superadditis precibus, aliis verò breviori summa contractis, ritibusque nonnihil autis vel mutatis, re tamen integra permanente, paulò post diversior ab illa pristina habeatur. Bellarminus quoque de *Script. Eccles. 33.* à posterioribus ita locupletatam esse Jacobi liturgiam scribit, *ut non sit facile judicare, quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habeat auctorem.* Sed ubi veteres liturgias illi videntur,

runt,

runt, ut interpolatas dicere possint? Et hinc etiam *Libri* Papistis Criticâ quadam opus erit, qua genuina à *Apocr.* subleſtis, propria ab alienis, Divina ab humanis, *N. Test.* authentica ab incertis ſecernant. Rectiùs haud dubiè illi ſentiunt, qui ſtatuunt, Liturgias illas Apoftolorum nomina præferre, non quòd Apollolis authoribus conſignatæ ſint; ſed quia in illarum regionum vel civitatum Eccleſiis, quas conſtituiſſe illi putantur, in uſu fuerunt.

XV. Sed & Evangeliiſ, Actis, Epiſtolis, Apoca- *Pſeude.*
lypſi Canonicis Evangelia, Acta, Epiſtolæ & Apo- *vange-*
calypſes nonnullas *Apocryphas* tanquam ab Apo- *lia.*
ſtolis Apoſtolicis que Viris conſcriptas veteres ſur-
rogârunt. Famoſa ſcilicet ſunt *Protevangeli-um Ja-*
cobi, de nativitate Mariæ, quod inter Orthodoxo-
grapha extat, & à Celeb. Hoorbeckio *Vet. N.p. 31.*
ad ſimam revocatur; nec non Evangelia *Petri*,
cujus Eusebius *Hiſtor. Eccleſ. III. 3.* & S. Theodoretus *Heret. fab. lib. II. 2.* meminere: *Thoma*, quod à
Manichæis receptum, Orthodoxi, Eusebius *Hiſtor.*
Eccleſ. III. 25. Leontius *de Sectis Act. 3.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. III. 4.* repudiârunt: ſecundùm
Hebraeos, quo nomine inſignitum eſt mutilatum
Matthæi Evangelium; quòque Ebionitæ & Ce-
rinthiani, apud Theodoretum *Heret. fab. lib. II. cap. 1.*
Eusebium *Hiſtor. Eccleſ. lib. III. 27.* & Epiphanium
her. 30. uſi ſunt: *Matthie*, cujus idem Eusebius
Hiſt. Eccleſ. III. 25. meminit: *Jude*, quod Caini vel
Cainæi apud Theodoretum *Heret. fab. lib. I. cap. 15.*
protulerunt: *Nicodemi*, quo paſſionis & reſurrectio-
nis Chriſti acta minutatim comprehenſa ſunt, uti
illud inter Orthodoxographa Patrum legere eſt;
quòdque Synaxarium Græcorum contra Synodo-
rum decreta recipit: cujuſque cenſuram apud Cl.
Hoorbeckium *Vet. Nov. pag. 33.* videre eſt; deni-
que *Philippi*, receptum olim à Manichæis, uti Leon-
tius *de Sectis Act. 3.* teſtatur. De hiſ verò aliſque
Evangeliiſ *Ψευδευαγγέλις & πωλασμένοις*, Hiero-
nymus *Proem. in Matth.* ait, ex Origine *homil. 1. in*
Lucam, à diverſis nationibus edita eſſe *Evangelia*,
diverſarum hæreſium principia, ut eſt illud, inquit, juxta,
Aegy-

Libri *Ægyptios & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæum,*
 Apocr. *duodecim quoque Apostolorum & Basilidis, atque Apollis*
 N. Test. *ac reliquorum, quos enumerare longissimum esset.*

Actus *XVI. Etiam πράξις seu Actus varios Aposto-*
 suppositi. *lis & Viris Apostolicis veteres falsarii suppolue-*
runt. Ejusmodi sunt πράξις seu Actus Petri, quo-
rum Eusebius Hist. Eccles. III. 3. meminit: Pauli,
quos Eusebius loc. cit. se ἐν ἀναμφιλίπτους παρεληφέναι,
inter minimè dubia accepisse negat, & cap. 25. inter
adulterina numerat; nec non Andrea, Johannis &
Thomæ, quorum Epiphanius de Encratitis her. 47.
nec non heresi 61. meminit: quosque iisdem En-
cratitis & Quartadecimanis in deliciis esse, idem
Epiphanius, nec non S. Theodoretus Heret. Fab. lib.
III. cap. 4. testes sunt. Ad eosdem Actus referri
etiam possint περιόδοι Ἀποστόλων Circuitiones Aposto-
lorum, veluti Petri, quæ à Clemente Romano scri-
ptæ ab Origine in Philocalia cap. 23. & Epiphaniò
heresi 30. dicuntur; nec non Johannis & Thomæ, quas
Athanasius in Synopsi, & Nicephorus in Chrono-
logia inter Apocrypha N. T. numerant. Liceat eo-
dem referre librum Passionis S. Andreae, sub nomine
Presbyterorum Achajæ editum, Gelasii censura
perstrictum, licet Bellarminus de Sacr. Euchar. lib. II.
1. non vulgare ei pretium statuat, quia ei videtur
oralem manducationem Christi asserere: Pauli &
Theclæ acta, quæ inter Apocrypha scripta idem Ge-
lasius, imprimis ob Leonis baptizati tabulam com-
putat; licet & unà cum eo Baronius succenturia-
tam narratinuculam, quam historiam passionis Theclæ
vocat, idem ad An. 47. n. 2. 3. esse legitimam contem-
dat, quem iccirco Cl. Rivetus Crit. S. lib. I. cap. 5.
ad partes vocavit: Prochori vitam Johannis Apostoli,
quam non à Prochoro illo, cujus Act. VI. 5. mentio
est, sed à Pseudo-Prochoro nescio quo scriptam
stylus Latinus barbarus, cum author se Hebræum
similet; nomina varia Prochori ætate insueta, aliã-
que plura, à Cl. Hoornbeckio Vet. N. pag. 48. notata
arguunt: Lini Historiam de Petri & Pauli passione,
multa de Petro apertè falsa, ab ipso Bellarmino de
Script. Eccles. A. 70. & ante ipsum ab Espencæo lib.

de contin. collecta, narrantem: denique *Abdiam*, qui Libri
 se *Babylonium* finxit, à Lazio editum, de rebus gestis Apocr.
Apostolorum, mendaciis pluribus refertum, ut post N. Test.
 alios *Rivetus Crit. S. lib. I. cap. 6.* ostendit.

XVII. Neque tantum Evangelia & Acta, Epistol
 verum etiam *Epistola* Apostolorum Apocryphis Apocry-
 & Pseudepigraphis auctæ sunt. Ita enim S. Paulo phas.
 adscribuntur *Epistolæ* tum ad *Laodicenses*, quam à
 Sixto Senensi *Biblioth. S. lib. II.* in voce *Paulus* exhi-
 bitam, finxerunt impostores nonnulli, perperam
 interpretantes verba Apostoli *Coloss. IV. 16.* ubi
 S. Theodoro etiam ad locum illum observante,
 non τὴν πρὸς Λαοδικεῖς *Epistolam ad Laodicenses*, sed
 τὴν ἐκ Λαοδικείας ἐκ *Laodicea* scriptam, quam esse
 priorem ad *Timotheum*, supra *cap. XVII. Ss. 3.*
 probavimus, commendat: tum se ad *Senecam*,
 quas idem Sixtus representat, ac inductis *Lini*,
Hieronymi, *Augustini* testimoniis probat, & in
 quas *Jacobus Faber Viennensis* breves *Commen-*
tariolos scripsit. De quibus etiam *Salmeron Dis-*
put. 3. in Epist. Pauli pronuntiare non veretur, mate-
riam illarum non multum certè distare ab illis Johannis
Evangeliste ad Electam Dominam, & ad Gajum, aut
Apostoli Pauli ad Philemonem. At spurias illas esse
 meritò *Eraſmus Schol. in Hieron. de Eccles. Script. in*
Seneca censuit his verbis: *Hæ Epistola falsò inscri-*
buntur Paulo & Seneca. Nihil in illis est neque Paulo
dignum, neque Seneca. Quod iudicium etiam *Baro-*
nus ad An. 66. n. 11. & *Possevinus Appar. in verbo*
Seneca confirmant, dilutis etiam testimoniis à Sixto
 allatis. Certè stylo adeò barbaro *Seneca* usus nun-
 quam est, neque *Paulus Senecam Devotissimum Ma-*
gistrum vocavit: neque eundem ad *Senecam* scri-
 bentem decuisset *Christi & Evangelii* mentionem
 prorsus omittere. Etiam *Barnabæ Epistolæ* *Orige-*
nes lib. I. contra Celsum, & *περὶ ἀρχῶν lib. VI. cap. 2.*
 nec non *Clemens Alexandrinus* aliquoties memi-
 nit. Sed scriptis adulterinis meritò *Eusebius Histor.*
Eccles. III. 25. nec non *Hieronymus in Catalogo*
Script. Eccles. accensent. Sed & *Clementi* tribuitur
Epistola ad Corinthios, quam valde utilem *Hierony-*

Libri Apocr. N. Test. mus in Catalogo vocat, & nonnullis in locis publicè lectam testatur. Eandem Eusebius *Histor. Eccles. III. 15.* vocat *ὁμολογεμένην μεγάλην τε ἔχουσαν*, ab omnibus receptam, magnam & admirabilem: editque ex laceris reliquiis vetustissimi exemplaris Regii Oxoniensis Junius Patricius, unà cum fragmento Epistolæ secundæ ad eosdem Corinthios, additis notis, in quibus id etiam agit, ut genuinam esse demonstret. Ab Ecclesia tamen inter Canonicas recepta non est. Eidem Clementi quinque aliæ Epistolæ, duæ ad Jacobum, reliquæ tres ad discipulos tribuuntur, quas unà cum Decretalibus cæteris nomine Anacleti, Evaristi, Alexandri, Sixti, Telesphori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutheri & Victoris, spurias esse, Viri Doctissimi, Wittakerus, Rivetus, & adversus Turrianum Jesuitam perfrictæ frontis, David Blondellus in *Pseudo-Isidoro & Turriano vapulantibus*, fortiter asseruerunt. Denique & *Lentuli Epistola de Christo* circumferebatur olim, quæ hodièque apud Eutropium, & in monumentis Patrum legitur, & ex qua nugatores nonnulli, Molanus, Mendoza, alii Christi externam formam definiunt, quam *improbè ementitam* Valla agnoscit. Describitur in ea Christus tanquam Naziræus ex voto, qualis nunquam fuit.

Apocalypses. XVIII. Denique etiam Divinæ S. Johannis *Apocalypsi spuria Apocalypses*, seu Revelationes nonnullæ additæ sunt. Cujusmodi sunt *Apocalypsis Petri*, quam ab Orthodoxis rejectam docemur ab Eusebio *Histor. Eccles. III. 3. 25. & VI. 14.* licet eam Ecclesiæ nonnullæ in Palæstina retinuerint, & quotannis in die Parasceves, Sozomeno *Hist. lib. VII. 19.* teste, legerint: nec non *Apocalypsis Pauli*, de qua idem Sozomenus *loc. cit.* testatur, quod nemo antiquorum eam viderit, & plerique Monachi laudent, quam scilicet repertam ex Divina revelatione Tarfi, in ipsa Pauli patria, in marmorea arca sub terra, iidem Monachi somniabant; quos Cilicis Senis & Presbyteri Tarsensis testimonio Sozomenus ibidem refutat.

Hermæ Pastor.

XIX. In Bibliotheca Patrum *Tom. V. Edit. 3.* sub Hermæ

Hermæ, S. Pauli discipuli, cujus Rom. XVI. 18. *Libri Apocryph. N. Test.* mentio est, nomine legere est libros tres, qui à S. Patribus *Pastoris* sive *Pastoralis* nomine inscribuntur, passimque citantur, & ab Hieronymo in *Prolog. Gal.* inter libros Ecclesiasticos unà cum libro Judith & Tobix reponuntur; nisi fortè Hieronymus ibi per Pastorem tertium Macchabæorum librum, uti Cl. Junius conjectat, intellexit. Primus liber inscribitur *Ecclesia*, & visiones Authori factas proponit. Secundus *Pastor*, & mandata vivendi continet, ab aliquo reverendo specie Viro, sed habitum Pastorem præferente, ei dictatus. Tertius est liber *Similitudinum*, per quas instruit. An tamen liber ille, quem veteres *Pastorem* nuncuparunt, quemque tanti fecerunt, ut etiã in Ecclesiis legi voluerint publicè, citarintque magnificè, idem sit cum libris illis, dubitatum à nonnullis est. At secundum saltem, qui in specie *Pastor* insignitur, eundem esse cum vetusto illo Hermæ Pastore, fidem faciunt citationes veterum, quæ in hodierno illo libro secundo totidem ferè verbis reperiuntur. Sed de eo quicquid sit, tres illos, qui sub Hermæ illius nomine veniunt, hodièque extant, libros, non germanum pii illius & Christiani Hermæ, S. Pauli discipuli, sed alterius cujuscumque foetum, & saltem Apocryphum scriptum esse, dubitari nequit. *Scriptum Pastoris ab omni Concilio Ecclesiarum, etiam vestrarum inter Apocrypha, falsa & adultera judicantur*, verba sunt Tertulliani, Montanistæ Orthodoxos ita alloquentis, *Lib. de Pudic.* citante etiam Baronio *ad A. G. 159. n. 5.* Etiam Gelasius loco supra citato & Indices Expurgatorii, Hispanicus *pag. 149.* nec non Romanus *pag. 171.* inter Apocrypha scripta eum relegarunt. Non spirat Paulinum genium, Pauli licet discipulum se profiteatur. Capite vel mandato 6. duplicem genium cuilibet homini assignat, ex Gentilium scilicet, non Pauli, vel Christianorum sententia. Libro primo, visione 11. animum sibi multa revelantem Sibyllam facit. Imprudenter igitur veteres tanti librum fecisse videntur! & impudenter Stapletonus *Relect. Princ. Doctrina I. Controv. 5.*

Libri Apocry. N. Test. q. 2. art. 4. de eo sic scripsit: Si *præsens Ecclesia* librum Pastoris in Canonem S. Scripturæ referret, nulla ratio obstat, quin eum pro Canonico admittere debeamus aequè atque Epistolam Jacobi. Scilicet Canonicus liber, si placitum Papæ fuerit, quandoque fieri potest, qui Judice Indice Romano Expurgatorio hæresibus & fabulis oppletus est.

Apocryphorum N. Test. crisis. XX. Atque hi præcipui sunt N. Test. Libri Apocryphi, Ecclesiæ Christianæ nunquam authenticè traditi & commendati, ab ea nunquam recepti, & indiciis notisque insitis se prodentes, quòd *Θρόνηνοι* neutiquam sint. Quòque dubii à certis, humani à Divinis, Apocryphi à Canonicis Libris dignosci discernique feliciter possint, tres notas, tanquam *κρίτηρια* sive normam iudicii S. Patres, Epiphanius in primis libro de hæresibus, & S. Augustinus libris contra Faustum, præscripserunt. *Primò* quod de librorum Apocryphorum fide & autoritate vetustissimorum Patrum testimoniis nihil probari possit. *Secundò* quòd stylus eorum cum stylo Sacrarum Literarum neutiquam conveniat. *Tertiò* denique, quòd in sensu & doctrina ipsa à libris verè sanctis & Divinis discrepent.

TABULA SYNOPTICA LIBRORUM APOCRYPHORUM NOVI TESTAMENTI.

*Apocryphi N. T. libri sunt trium generum.
Oñim enim tributi*

I. Christo.

1. *Libri ad Petrum & Paulum.*
2. *Epistola ad Abgarum.*

II. Mariæ. *Epistola ad Ignatium.*

III. Apostolis, & Apostolicis viris. *Hisque vel*

1. *Omnibus.*
 - a. *Constitutiones & Canones.*
 - b. *Symbolum Apostolicum.*
2. *Quibusdam, quòd referuntur*
 - a. *Liturgia.*
 - α. *Jacobi.*
 - β. *Petri.*

DE LIBRIS APOCRYPHIS N. T. 677

- γ. Matthai.*
δ. Marci.
Libri Apocr. N. Test.
- b. Evangelia ; qualia sunt**
α. Jacobi.
β. Petri.
γ. Matthai secundum Hebraeos.
δ. Matthia.
ε. Judæ.
ζ. Nicodemi.
- c. Acta ; qualia sunt**
α. Petri.
β. Pauli.
γ. Andrea, Johannis & Thoma.
δ. Circuitiones Petri, nec non
ε. Johannis & Thoma.
ζ. Passiones Andrea.
η. Pauli & Thecla.
θ. Prochori vita Johannis.
ι. Lini historia de Petri & Pauli passione.
κ. Abdia Babyl. de rebus gestis Apostolorum.
- d. Epistola ; puta**
α. S. Pauli.
κ. Ad Laodicenses.
λ. Ad Senecam.
β. Barnabæ.
γ. Clementis ad Corinthios.
δ. Lentuli de Christo.
- e. Apocalypses.**
α. S. Petri.
β. S. Pauli.
- f. Hermæ Pastor.**

Censores Librorum Apocryphorum Novi Testamenti.

S. PATRES. Augustinus, Epiphanius, Eusebius, Hieronymus, Nicephorus.

REFORMATI. Coccius, Hoornbeckius, Hottingerus, Rivetus.

AUGUSTANI. Gerhardus, Waltherus.

PONTIFICII. Baronius, Bellarminus, Bonfrerius, Labbéus, Possevinus, Sixtus Senensis.

ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.